Reg. 3.147

4
2.336

ETHICA

PHYSICO-RATIONALIS LIBERA

SEU

PHILOSOPHIA MORUM

EX NATURA HOMINIS

RATIONE NATURALI DEDUCTA

ET

SECUNDUM PHILOSOPHIAE ECLECTICAE

INSTITUTIONEM PERTRACTATA

AUCTORE IGNATIO MONTEIRO

IN PONTIFICIA FERRARIENSI UNIVERSITATE

STUDIORUM PRAEFECTO.

VOLUMEN SECUNDUM.


BIBLIOTECA PUBLICA E
MUSEU DA CIDADE DISTRITAL
DE
EVORA
MANIZOLA

FERRARIAE MDCCXCIV.

TYPIS HEREDUM JOSEPHI RINALDI

Superiorum permissu.

LEHIGH UNIVERSITY



5320

ETHICAE

PARS III.

De caussis et mediis physico-moralibus ad humanam Felicitatem naturalibus, illamque constituentibus, hoc est De naturalibus virtutibus physico-moralibus, ubi etiam de vitiis oppositis.

§. I.

De virtute generatim, nominis, reique definitio: multiplex virtutis divisio.

Virtus amplissimum philosophiae moralis argumentum, atque praecipuus scopus, et objectum, si nominis etymologiam attendamus, atque latinam originem, *Vim* aliquam significat, quae corporis, mentis, aut voluntatis potest esse propria. Etsi autem idea eo nomine intellecta, plurimum jam ab illo etymologiae sensu distet, nonnihil tamen adhuc servat de primitiva significatione. Re enimvero virtutem non dicimus, aut esse intelligimus, in qua vis nulla inest, aut opus est, ad obstacula, virtutis actiones impedientia, superandum. Qui citra ullam difficultatem, ex re ipsa, ex animi indole, aut voluntatis genio derivantem, a malo abstinet, aut actionem per se bonam praestat, dicetur quidem non malus, vel etiam homo honestus; nequaquam tamen virtute praeditus. Non esse malum, esse honestum, virtutes habere, gradus quidem sunt, quorum posterior aliquid perfectionis antecedenti superaddit.

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA MANIZOLA

Virtus igitur proprie dicta atque generatim accepta est, et definiri potest; activa animi habitudo cogitandi, loquendi, agendi secundum officium: in cujus sensum recidit illa ab Augustino tradita, *animi habitus naturae modo, atque rationi consentaneus*. Ex opposito igitur vitium generatim acceptum, est constans animi habitudo cogitandi, loquendi, agendi contra officium. In utraque definitione officium generatim intelligimus, et cum ratione confundimus. Ex definitionis verbis, et sensu per se clare constat. 1. Virtutem vim aliquam secum ferre: quod ad veram virtutis notionem opus esse diximus: qua et difficultas actionis superetur, et opposita tollantur impedimenta. 2. Satis ad virtutem non esse unam, aut alteram ejusdem actionem. Habitudo enim ex indole animi, et repetitis actionibus contracta, et confirmata virtus existit: nequaquam vero unus aut alter actus; qui saepissime cum opposito vitio componuntur. Videas aliquando in homine avaro liberalitatis phaenomenon. Hujusce regulae exceptio est, actio virtutis heroica, qua et impedimenta externa, et se se fere superat animus. Adeo enim ita agendo in partem vitio oppositam inflectitur, ut plurimum inde de illa inflexione remaneat, oppositae facile restitura. 3. cogitare, loqui, agere virtutis esse materiam. Tribus enim hisce humana omnia comprehenduntur; ea praescribit officium, et dictat ratio, virtutum omnium regula atque fundamentum.

Virtus ita generatim definita in plures dividitur species. Philosophica, seu moralis, rationalis, revelata, seu Christiana, quae et Theologicam et pure moralem complectitur, politica, civilis, urbana. Rursus virtutes morales, cum philosophicae, tum revelatae, aliae sunt naturales, et originales, aliae vero factitiae. Paucis haec omnia singillatim exponamus. Virtus moralis philosophica est constans habi-

tudo tendendi in bonum morale ex sola ratione et honestate naturali. Si praeter naturalem rationem et honestatem revelatae etiam doctrinae innitatur, *moralis Christiana* nuncupatur. Si virtus moralis Christiana Deum tantummodo respiciat, Theologica dicitur: ejusque classis sunt *Fides*, *Spes*, *Charitas*, Dei testimonio innixae, Deumque tantum respicientes. Virtutem politicam vocat et definit *Montesqueu* amorem aequalitatis, qualis in republica esse debet, alio nomine amor patriae nuncupatus. Virtutes civiles, dicimus illos urbanitatis modos, quibus in humanis cultisque societatibus bene educati homines inter se se agunt, loquuntur, vivunt. Postremae hae virtutes sunt omnes factitiae, humanae libertatis, et conventionis opus. Ab iisque decorum illud derivatur, humanarum actionum ornamentum, et moralis philosophiae appendix.

Virtutibus Theologicis, et moralibus Christianis in opere philosophico praetermissis, illas prosequamur, quae naturali tantum ratione demonstrantur, et philosophiae morum propria existunt argumenta.

§. II.

De virtute morali generatim accepta; ejus natura physica, rationalis, moralis; regula et objectum.

Virtus moralis seu philosophica generatim accepta recte definitur, *naturalis et activa constantia rationis officio satisfaciendi*; hoc est, constans liberae rationis habitudo bonum morale peragendi, viribus naturae comparata. Utraque definitio per se se est clara, si quid officii, et boni moralis nomine significetur, recte intelligatur. Quorum posterius in superioribus exposuimus: primum autem, minime etiam obscurum, statim exponetur. Ex hac virtutis

notione satis indicatur non modo nominis ratio, sed etiam objectum, subjectum, regula ejusque ab aliis virtutibus discrimen. Inde etiam virtutis moralis proprietates deducuntur, a quibus vicissim clarius intelligitur, quid sit virtus moralis. Dicitur naturalis seu philosophica, rationalis, moralis, quod naturae viribus comparatur, ratione dictatur, et dirigitur, morum honestatem respicit. Manifestum igitur est virtutis moralis a physica, Christiana, Theologica aut morali, politica, oeconomica, atque civili discrimen. Vis seu virtus pure physica effectus tantum physicos producit, ejusque classis sunt omnes causarum naturalium vires. Revelata praeter naturalem rationem Dei testimonio potissimum fundata mores, aut Numen respicit, supernaturali Dei ipsius gratia excitante, monente, adjuvante: politica publicae: oeconomica privatae rei administrationem: civilis decorem humanarum actionum respicit, dirigit, statuit. Sunt praeterea, et dicuntur morales virtutes constans et activa habitudo, neque enim sine vi, et activitate agendi, resistentiam et obstacula superandi, intelligitur virtus. Satis ad virtutem moralem non est, semel honeste agere, nihil mali agere, citra ullam difficultatem agere, atque resistentiam.

Virtutes igitur morales hominis tantummodo esse possunt proprietas, et ornamentum: naturae scilicet cogitantis, liberae, proprioque nomine, et vi naturali agentis, proprium est virtutum moralium objectum. Utraque haec conditio non modo est illarum conditio, sed naturale etiam fundamentum. Cognitione et libertate deficientibus, nulla amplius esse aut concipi potest in actionibus moralitas: nulla autem sine moralitate virtus moralis proprie nuncupata. Nulla igitur in commentitia fatalistarum hypothesi, in antiquo aut moderno Epicureismo moralitas, honestas, virtus, et philosophia moralis: nisi

harum omnium rerum capacia esse dicas animantia omnia bruta, et machinas quascumque automatas, proprias functiones necessario peragentes. *Proprie* dixi; ut actionum, et virtutum veluti corpus ab illarum spiritu, si ita loqui licet, distinguamus.

Primum dicimus physicam rei utriusque naturam, quae hominis liberi, animantium brutorum, et corporis inanimis potest esse effectus. Homicidium aeque ab homine, atque a fera bestia, aut a labente lapide perpetratur. Contra vero actionis virtutisque spiritum, et veluti animam, in re praesenti dicimus ejus moralitatem; illam scilicet liberae rationis intentionem circa actionis finem, qua fit ut honesta aut turpis existat, et in laudem vertatur, aut vituperium.

In virtutibus praeterea moralibus, quemadmodum in actionibus distinguitur finis, seu motivum, regula, objectum, effectus. Generale earum motivum est generalis actionum honestas: regula vero ratio. Illam enim vero semper respicimus quarumcumque virtutum moralium exercitio, et actionibus. Vix atque ab illo declinamus scopo, nihil in nobis superest, nisi virtutum phantasma, et inanis umbra. Hominem in scenam produc generose quidem sua omnia aut publicae rei, aut privatis hominibus elargientem ad nomen et gloriam sibi comparandum: quid in hujusmodi homine admittit ratio, nisi inanime virtutis corpus? Moralium virtutum effectus est primo quidem meritum, de quo luculenter jam in superioribus disputatum. Circa quod iterum distingue actionis corpus, ab illius veluti spiritu, et animi intentione; etsi enim ex utroque hoc capite totum sit meritum, in intentionis tamen puritate potissimum consistit. Rationem, ita philosophando, invenimus, quare infinitae fere hominum actiones alias quidem utiles, et honestati conformes, virtu-

tes tamen neque existant, neque ullum habeant meritum. Id vero ab honestatis notione deducitur. Quaenam enimvero et quid rei est honestas: quaenam etiam illa ratio, seu rationis lumen virtutes dirigens, statuens, definiens? Quod quidem est virtutum criterium, et veram regulam quaerere. Honeste agere, recte cogitare sibi quisque tribuunt omnes universim homines. Sed quantum ab honestate, et ratione distat vulgaris utriusque opinio? Moralium virtutum atque actionum honestas est earum conformitas cum naturalis rationis dictamine. Rationem vero intelligimus, non qua de se suisque homines cogitant, sed qua mens humana primis aliunde philosophandi fundamentis, et veritatibus instructa, atque a praejudiciis libera, de rebus statuit. Rem in arte critica luculenter expositam impraesentiarum indicasse satis.

Ratio igitur hoc modo accepta, virtutum moralium est fundamentum, criterium, regula. Primo quidem sine ratione neque voluntas libera, neque actio humana, neque meritum, aut demeritum, quae communia existunt omnium virtutum attributa. 2. Rationis pariter munus est, virtutem a vitio distinguere, utriusque terminos et confinia statuere: veram et sinceram, a falsa et apparenti secernere; quisnam inter virtutes ipsas ordo et gradatio existat, quanam gradatione virtus moderata in illustrem, illustris vero in excessum, hoc est in defectum et vitium degeneret. 3. Satis non est totius moralis vitae fundamentum existere, et quod in tota morali vita atque doctrina tenendum, dubitandum, aut rejiciendum sit demonstrare: media etiam in humanarum rerum usu et consuetudine ad morales virtutes acquirendum, perficiendum, conservandum necessaria, aut utilia, indicare, et praescribere, alterum est, et non postremum naturalis rationis offi-

cium. Ita sane fit ut talis cum sit humana ratio, et haec omnia in nobis peragat munera, jure merito existat, et dicatur virtutum omnium moralium fundamentum, criterium, regula.

Quanta vero, quot et qualia tribus hisce verbis non comprehendimus atque statuimus maximi momenti objecta, et veritates? Ut sublimia illa metaphysica principia, totius moralitatis, naturalis religionis, et legis fundamenta praetermittamus; quae naturali ratione constant, et demonstrantur: in tota humana vita morali in perpetuo boni et mali, virtutis et vitii discrimine versamur. Humanae omnes actiones aut ad alteram ex hisce classibus spectant, aut in earum medio veluti confinio existunt, aeque ab utraque parte remotae. Quidquod mutata animi intentione, actionumque fine, vitia aliquando in virtutes, virtutes saepissime in vitia degenerant. Quot etiam in humana societate, in unoquoque nostrum morales actiones, continuati errores, et vivendi rationes, quae fucatae quidem virtutes, vera tamen vitia? Religioni confinis est superstitio, prudenti zelo fanatismus. Scrupulosior prudentia nomen saepe et naturam amittit. Hisce omnibus milleque aliis moralis vitae malis una ratio affert remedium: dum idearum confusione explicata, moraliumque actionum notione evoluta, quae tandem nomina conveniant, quaenam vitanda, probanda, praeferenda demonstrat. Virtutes inter se distinguuntur ex peculiari illarum indole, principio, objecto, et medio. In generali autem principio, atque fine, seu motivo, generali scilicet honestate conveniunt. Ex honesto amore sui quisque nostrum ad bene agendum, cogitandum, loquendum, ad virtutes omnes propter Deum et honestatem excitamur. Sed alia est charitatis, alia justitiae indoles, objectum, modus.

Objectum denique virtutum moralium illud est,

quod virtutes ipsae eorumque actiones peculiariter respiciunt, et in quod diriguntur. Cum autem omnibus humanis actionibus vel Deum, vel se ipsum, vel alios respiciat homo; tria etiam haec sunt generalium virtutum moralium objecta: ex iisque potissimum, atque ex modo objecta ipsa prosequendi, distinguuntur inter se virtutes. Ex virtutum effectibus, objectis, et indole, quaeri potest, primo idemne sit, hominem esse bonum, et honestum, atque virtutibus ornatum. 2. Suntne virtutes virtutibus contrariae, ut vitia vitiis: an potius inter se sociantur, unaque alias omnes secum trahit. 3. Quaenam etiam inter virtutes statui debeat praecedentia. Circa primum ex superius dictis, atque ex vera harum rerum, verborumque notione non esse malum, esse bonum, seu honestum, virtutes habere, gradatio quaedam existunt, cujus consequens gradus antecedenti aliquam superaddit perfectionem.

Quod alteram quaestionem attinet, aliud virtutum species, aliud earum et fundus et penitior consideratio demonstrat. Clementia et justitia, liberalitas et oeconomia specie quidem inter se videntur opponi: re tamen amice conveniunt. Nullaque est vera virtus, quae alteri possit esse contraria. In eo voluntatis vitia cum intellectus erroribus conveniunt, virtus cum veritate. Ab uno ad aliud punctum una tantum duci potest linea recta; infinitae autem curvae. A veritate, et virtute, quae naturalis rationis recta sunt semita, mille sunt declinandi modi. Cum omnis virtus moralis sit rationis dictamen, seu ratio ipsa moribus applicata; ratio autem sibi nequeat esse contraria; nulla propterea inter virtutes potest esse oppositio. Clementia justitiae opposita specie quidem videtur virtus, re tamen est humani cordis debilitas, et vitiosa teneritudo. Rationis praeterea munus est, inter justitiam et clementiam, in-

ter oeconomiam et liberalitatem communia statuere confinia; intra quae nulla est oppositio, ultra vero transgressis, desinunt esse virtutes. In id vero res tota refunditur, quod sicut officia officiis, ita virtutes virtutibus praeferuntur, certusque praecedentiae ordo inter illas existit. Strictioris juris officio, et virtuti conformes esse debent mitioris obligationis officia atque virtutes.

Sed quid si te, ut saepe fit, ex religionis officio ad templum, ex charitate autem infirmo pene morienti, et derelicto opem ferre debeas? Indubia inter duas hasce actiones oppositio ad earum principia non extenditur: ad religionem scilicet et charitatem? Respondeo: In hujusmodi casibus, passim in humana vita occurrentibus uno tantum tenemur officio, una tantum oppositarum actionum est sincerae virtutis opus. Principium generale et regula omnium virtutum est ratio; motivum vero honestas: una vero tantum est generalis ratio, una etiam honestas. Cum inter diversa officia versamur, id unum est rationi et honestati conforme, secundum strictioris juris officium excellentioremque virtutem agere. Non igitur actionum principia, seu virtutes virtutibus opponuntur: sed aliae aliis impediuntur actiones.

De virtutum praecedentia, quod tertio loco fuit propositum, idem quod de officiis statuendum est: de quo deinceps disputabitur.

Ex hucusque dictis liquet, virtutes et officia per omnia fere confundi: cum iidem sint utrorumque effectus, objecta, munera; et hoc uno inter se discriminentur, quod officium sit obligatio moralis homini a lege imposita, seu morale vinculum physicae libertatis, quo ad rationis dictamina observandum tenemur; virtus autem sit constans voluntatis habitudo secundum officia, illudque morale vinculum, et obligationem vivendi.

Deinceps igitur quae de officiis, eadem erit de virtutibus disputatio: argumentumque nomine et specie duplex, re tamen unicum eodem sermone comprehendemus.

§. III.

De officiis hominum moralibus: quid officia, multiplex eorum objectum, atque divisio.

Officii nomine duo significamus, atque intelligere debemus, activum scilicet et insimul passivum vinculum morale humanarum actionum. Aliquod enim vero extra nos est principium activum, ex quo ad agendum morali vinculo strictius, aut mitius tenemur. Id proculdubio indicant communissima haec inter homines loquendi ratio et modus, officia explere, officio satisfacere, munus suum agere, legibus sibi praescriptis morem gerere, secundum morum regulam vivere: quibus loquendi modis, officiorum naturae explicandae propriis, non modo superior ratio mores praescribens indicatur, sed et morale voluntatis vinculum ad praescribenti rationi morem gerendum. Officium igitur, generatim acceptum, est atque definiri debet, rationabilis praescriptio humanarum actionum: seu morale rationis vinculum humanas actiones praescribens. Ad clariorem officiorum intelligentiam, definitionis verba et sensus ulterius exponendi sunt. Primo quidem rationis nomine tam superior intelligitur suadens, aut obligans, quam inferior, quae suadetur, aut obligatur. 2. Hujusmodi vinculum est tantummodo morale, quia ad mores pertinet, rationis munus est, et physicam libertatem non offendit. 3. Humanarum actionum vocibus ab officii nomine et ratione propria excluduntur omnes actiones non humanae, hoc est non liberae, et caussae quaecumque mechanicae et necessario agentes. De morali enim, atque imputabili actione

agitur, cum de virtutibus moralibus, atque officiis sermo est.

Latiori tamen atque improprio sensu in rebus physicis atque mechanicis dici etiam possunt officia, ut vulgo fit, illae physicarum caussarum actiones necessariae, quas ex munere quaeque suo, atque physicis legibus aut viribus necessario agunt. Ex hujusmodi caussis, inter quas bruta omnia animantia comprehenduntur, potius, quam ex officio, ex munere sibi a natura injuncto, datisque a Deo viribus et legibus ad eum finem agi, et agere dicuntur, ad quem primitus fuerunt destinatae. Agere igitur secundum vires, munera et officia physica, si ita loqui placet, harum caussarum indoles est; cum nostrum hominum proprium sit physicis quidem viribus, secundum tamen moralia, et proprie dicta officia, agere. Circa quod maxime quidem, sed satis nunquam animadvertendum, quod sicut caussae naturales secundum physicas earum vires, atque munera semper agendo, non modo commune totius systematis, sed et proprium etiam bonum atque perfectionem operantur; ita et in mundo physico-morali, si hujusce ordinis caussae, homines scilicet universi, secundum morales leges, atque officia agamus, et in totius systematis perfectionem, et in propriam cujusque nostrum felicitatem allaborabimus. Duplicis hujusce ordinis caussae, leges, actiones, et fines totum componunt universum. Quodnam igitur sit nostrarum omnium actionum physico-moralium principium: unde ad agendum moveamur, quonam agendo respiciamus, et respicere semper debeamus, satis superque res ipsa per se se indicat, et superius disputata demonstrant. Nos et nostra cognoscimus et amamus: en totius rei modum et cardinem.

Officium proprie acceptum, et ita generatim de-

ditur. Homo se se primum, sibi atque de se cogitat, sibique est suarum cogitationum, et affectuum centrum: indeque paulatim egresso, menteque et animo circumspicienti, caeteri occurrunt homines, debitaque iisdem officia, aut a natura ipsa profluentia, aut humano arbitrio contracta. Haec vero et illa etiam, quae interea temporis comparatur, materialium rerum, atque mundanae machinae cognitio, quin ad nostri, caeterorumque hominum, rerumque omnium auctorem mens humana elevetur, quaeque principio illi aeterno omnipotenti optimo debeamus officia, naturali rationis lumine innotescat?

Hic quidem est physicus naturae ordo, et rationis sese explicantis, officiaque demonstrantis progressus. At si officia non tempore et cognitionis successione, sed ex sola ratione et dignitate spectemus, tum vero priora sunt officia hominis erga Deum, deinde quae nobis, et quae tandem aliis hominibus debemus.

Officiorum atque virtutum principium, ut argumentum superius disputatum modo restringamus, est *amor ille sui rationabilis*, de quo jam in superioribus disputatum. Principium quidem re unum atque simplex; specie tamen compositum. Rationis est bonum verum ab apparenti distinguere, quae nostra sint officia, quae eorum sit honestas, et nostram in iis exequendis felicitatem demonstrare, argumentis suadere, legibus praescribere. Ad rem ita demonstratam, suasam exequendum ex amore sui unusquisque nostrum impellitur. *Ab amore sui* inconsulto, ratione vel nondum explicata, vel praetermissa, in omnia sensuum objecta trahimur, fugienda, tacenda quaerimus, passionibus ducimur, in vitia omnia praecipitamur. Ratione tandem post mille errorum ambages, atque pericula, e passionum furore, atque fumosa caligine explicata, revocatisque iterum edu-

cationis principiis, et propria reflexione confirmata, tum vero inconsulto amori, in praeceps fere semper et vitia nos agenti, amor sui rationabilis succedit, ad virtutes, officiaque omnia originalia, factitia, politica, civilia, urbana, erga Deum, erga se, erga alios homines movens, atque impellens.

Primo enim facta officiorum et humanarum quarumcumque actionum analysi, quatuor haec illarum omnium reperiuntur proximi fontes, amor, timor, spes, officii gratia, hoc est gratiarum significatio. Rem parumper tecum ipso tacitus meditare: a te ipso per otium quaere, quidquid agas, unde ad agendum movearis. Quaecumque sint humani cordis ambages, atque labyrinthus, in quatuor recensita capita te semper ducet filum. Jam vero amorem, timorem, spem in amorem sui tandem resolvi, per se est manifestum: eademque est alterius capitis conditio. Quid enim est officii gratia, seu grati animi significatio. *La reconoissance*, inquit Milton, *est le paiement des grandes dettes insolvables: en recevant toujours, on paje toujours.* (a)

In praedicto animi affectu, quatuor haec intervenirent, de beneficio gaudium, de futuro spes, aut qualecumque meritum, contracti debiti solutio, tacita ad ulterius beneficium commendatio, et intima tandem de praestito officio laetitia, atque animi voluptas. Te vero non amas, non te respicis, cum ex his principiis agis, cum haec praestas, meliorique statu, talia faciendo collocas? Sed ad singula officiorum genera descendamus. Officia hominis erga se ipsum, quae tempore, et naturae ordine caeteris omnibus praecedunt, ad illius conservationem, perfectionem, praesentem atque futuram felicitatem assequendum collineant. Res patebit, cum de hi-

(a) Milton Paradis perdu lib. 4.

sce officiis singillatim erit sermo. Si ita res est (esse autem constat), in quod tandem principium et summam resolvuntur officia hominis erga se ipsum? Sed ne officia quidem erga alios homines ab diverso derivantur fonte. Quin modo ad peculiaria haec officia exponendum descendamus, quod statim praestabimus, rem generatim conficiemus si id *per nos* constet, quot homines sibi mutuo debent officia ab humanis associationibus, seu humanarum societatum constitutionibus, derivari: hujusmodi autem societates, hoc est socialem nationum statum, ab amore sui originem ducere. Ita vero rem esse demonstrat rudis, utriusque status naturae et socialis adumbratio.

Triplex distingui solet hominis status, quantum ad praesens institutum attinet, solitudinis, familiae, nationis. Primus est, aut fuisset status naturae, atque pura hypothesis, qua homines solivagos, nullisque inter se naturae aut arbitrariis vinculis sociatos ponimus; ut inde jura omnia Societatum deducamus. Secundus fuit olim totius humani generis status primitivus, a quo ad praesentem nationum statum, seu politicas societates privatae familiae convenerunt: ut statim fuse exponemus. Secum parumper conferamus praedictos hominis status; quaenam in iis fuerit, aut sit illorum conditio; quidque homines aut familias impulerit, ad politicas societates ineundum. Qualiscumque sit naturalis hominum felicitas, tota est a politico societatis statu. Is unus est, in quo singuli homines, quadam libertatis parte sponte renunciata, atque in politicum principem transmissa, nostrum, nostrarumque rerum domini, tuti, tranquilli, et pacifice vivimus. Est qui nos, nostraque omnia tueatur, nosque reddat ab omni hostium periculo securos. Quidquid ad humanam felicitatem conferre possunt scientiae

artes educatio, cultura (quid vero boni ad his fontibus non est ?) totum id politicae Societates praestant: extra eas vero in statu illo solitario singulorum hominum, aut familiarum omnino desideratur. Nulla ibi animi tranquillitas, pax, aut securitas, nullae artes, scientiae, aut cultura, et infinita fere, quae ab iis derivantur, vitae beneficia, jucunda, utilia, necessaria. Quaenam enim solitario homini, aut familiae innumeris quidem aliis circumdatae, quibuscum nullum est initum foedus, quaenam, inquam, potest esse tranquillitas, pax, gaudium, sui, suarumque rerum securitas? Ab omnibus timere, vitae fortunarumque esse incertum, seseque fortioris cujuscumque fieri quotidie posse praedam.

Haec cum fuisset in statu illo politicas Societates praecedente miserrima hominum conditio; ex quo tandem, nisi ex amore sui esse potuit commune illud hominum consilium ineundi inter se foedus, et politicam Societatem componendi, in qua, mutata rerum omnium scena, tantillo libertatis pretio, civilis libertas et vita compararetur, aeternusque ille timor, bellum, miseria, barbaries, ignorantia in contraria omnia verterentur ? Et ut verbo dicam, animantia fere bruta evaderent tandem rationalia, humana, culta, homines ? Jam vero si omnia hominum erga homines mutua officia totam vitam socialem, et politicum statum componunt, atque ex foedere ipso primitivo, inter aequales constituto, per se se consequuntur, consequi autem inferius ad evidentiam demonstrabitur; idem et socialis foederis, et officiorum debuit esse principium. Haec luculenter inferius prosequenda impraesentiarum attigisse satis.

Sed altius parumper contendamus, officiaque omnia eodem ratiocinio complectamur. Homo explicato jam, et confirmato rationis lumine et usu, de

necessariis religionis naturalis virtutibus, et fundamentis in statu sociali, aut etiam, si fieri potuit, in primitivo naturali, instructus, Dei existentiam, atque providentiam, animarum immortalitatem, vitamque futuram certo sciens, quid jus naturae praescribat, quid vetet, quae de eodem jure sint officia, quae praemia, aut poenae, ob impleta, aut transgressa officia, maneant non ignorans: homo inquam, de sublimibus hisce, summique momenti veritatibus, instructus, easque identidem alta mente volvens, ab amore sui, tamquam praesenti semper stimulo, cordi profunde infixo ad officia implenda, vitia fugienda, virtutes comparandas excitatur. Praesentis boni amor, praevisi spes, mali etiam praesentis odium, praevisi timor, homini cogitanti perrennes consiliarii, et incitamenta existunt. Quid vero rei est, ob spem praevisi praemii, aut praevisae poenae timorem, virtutem amare et colere, vitia odio habere, et fugere, nisi purus amor sui naturalis et honestus?

In idem etiam resolvuntur principium quatuor illae virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, cardinales vulgo nuncupatae, propterea quod aliarum virtutum cardines quidam existant, infinitaque officia ex iis deriventur. Sed quod hasce virtutes attinet, de quibus luculenter inferius disserendum, earundem notiones per se obviae, principia, et objecta postea evolvenda, rem plane demonstrant.

Ex disputato hactenus virtutum moralium, officiorumque principio rationabili, honesto, justo, et a recta ratione semper directo, non modo ad virtutum moralium comparationem, et exercitium, atque ad officia adimplendum merito semper excitamur; sed ad officia etiam officiis, virtutes virtutibus praeferendas, ordinemque tenendum, objectorum di-

gnitati, et officiorum vinculo respondentem. Transmisso igitur naturali illo ordine, quo natura duce, et ratione se se explicante, humana officia menti nostrae paulatim innotescunt, et quae nobis, quae aliis hominibus, quorum societate vivimus, quae tandem Deo debeamus, sensim ediscimus; rationis ordini insistendo in nostra erga Deum officia deveniamus.

§. V.

Officia hominis erga Deum, seu Religio naturalis; ejus natura, et veritas ex primi Entis existentia et attributis, atque ex hominis natura derivata: contra Deismum.

A Deo sumus, per ipsum vivimus, ad eum tendimus. Quidquid sumus, habemus, speramus, unius Dei beneficium est. Veritates brevi oratione expositae, nulla tamen humanae meditationis diuturnitate satis comprehendendae. Quid praeterea Deus? Quid nos? Qui nam etiam a Deo simus, quid ab illo habemus, speramus, timemus? En quaestiones, quarum non jam solutio, quae creatae mentis esse non potest, sed meditatio, quae nostrorum erga Deum officiorum sit veritas, necessitas profunditas plane demonstrat. *Ego sum qui sum*: en primae quaestionis solutionem, Deo dignam, ab unoque Deo de se ipso tradi capacem: in qua eam sensus profunditatem cogitando animadvertimus, quo pertingere nunquam potest humana ratio. Si unus est, *Ego sum qui sum*, quid igitur nos, et caeterae creaturae, nisi *non entia*, *zero*, *nihil?* Ad hunc loquendi modum nos redigit idearum verborumque egestas. Ad haec tamen, qualiacumque *non entia* humana ex aeternitate sua respexit *Qui est* aeter-

nus, immensus, omnipotens, infinitus, sibique infinite sufficiens, et Beatus. *Non entia* praeterea voluit, creavit, propriae voluntatis et actionum arbitros effecit, integroque terraqueo globo in eorum, quoad viverent, disputationem et patrimonium constituto, alia infinite majora post corporis solutionem speranda, et timenda, fruenda praemia, ferendave supplicia decrevit. Ad id praemii, aeternae scilicet felicitatis assequendum, poenasque evitandum viam ipse nobis indicavit, rationis lumen dedit, legem imposuit.

Si ita res sunt, esse vero luculenter in Metaphysicis demonstravimus, et hic obiter attigimus; si Deus est summa et infinita potentia, summa et infinita ratio, omniumque propterea potens, nihil non sanctum et justum praescribere, et jubere valet: si nos relativa non *entia*, et vera infinitesima in infinitate rerum disparentia, respexit Deus; si quidquid sumus, Dei quidem, non nostri, non aliorum hominum sumus; si a Deo in quocumque temporis momento nos, nostraque omnia, vita, fortuna, praesentia, et futura pendent; si ita a natura, hoc est, a Deo ipso comparati sumus, ut mente, voluntate, amoreque nostri praediti, cognoscamus verum, quaeramus bonum, nosmetipsos amemus, nostraeque proinde felicitatis principium, et auctorem colamus, et amemus; si inquam haec ita sunt, officia hominis erga Deum, et vera existunt, et omnia alia officia dignitate praecedunt.

Hujusmodi officiorum complexio, et rationis dogmata, unde illa deducuntur, religio naturalis existunt. Haec autem et nomine, et re definiri potest: *Officia, et cultus erga Deum sola ratione naturali demonstratus*. Ex hac religionis naturalis notione, illam primo distinguimus a religione quacumque a Deo revelata, qualis est illa Moysis, aut no-

stra Christianorum religio ; quarum neutra sola ratione naturali constare potuit, atque demonstrari. 2. Potiori jure excluditur quicumque cultus humana inventione, arbitrio, aut civili constitutione praescriptus : hujusmodi est Mahomethismus, et Ethnicorum cultus. 3. Naturalem religionem non modo esse sanctam, sed aliarum omnium primam, earum fundamentum, et regulam, a qua siqua discedat, a veritate discedit. Haec omnia prae se fert purum rationis dictamen, seu aeternae veritatis, et rationis revelatio naturalis a Deo facta. 4. Ad religionem naturalem detegendum, definiendum, demonstrandum devenire per se posse humanam mentem. Humana ratio a primis crepusculis jam plane explicata, potissimum vero passionum tumultu jam remittente, in se ipsam serio reflexa, a sui existentia sibi prorsus indubia, tamquam a primo humanae scientiae, et totius seriei nostrarum cognitionum fundamento, seu philosophandi principio ascendens, universitate rerum per otium circumspecta, altius se se paulatim elevat. A veritate in veritatem gradatim ascendens, creatis rebus cogitando transcursis, extra mundum, locum, tempus certo semper pede, certo filo ducta totius seriei caput, primumque principium invenit: ut late in Metaphysicis demonstravi.

Dei quidem naturam, atque perfectionem cognoscere, creatae mentis non est. Si ex solis fulgore caecutimus, summusque fulgor oculos obducit caligine ; si ob enormem distantiam oculorum visio nomen et munus amittit ; quid non efficiet infinitus fulgor, quid infinita inter nos et Deum distantia ? De hisce omnibus conveniendum. Dei tamen, fulgoris scilicet infiniti, atque infinite distantis existentiam, et attributa demonstrat ratio humana. Existimus enim nos non a nobis, existit tota creaturarum rerum complexio, non a se : hoc concipere, cogi-

tare, meditari demonstrationis loco est: remque in citato loco luculenter prosequutam, impraesentiarum indicasse satis. Inter Numinis attributa menti primo occurrit creatio, omnipotentia, providentia, beneficentia, summum dominium, atque perfectissima creaturarum a Deo dependentia. Ex his vero attributis, et veritatibus naturali ratione demonstratis, religionis naturalis fundamenta et partem constituentibus, quaenam non descendunt creaturae cogitantis et liberae, hoc est hominis erga Deum relationes, atque necessaria officia? Cum sublimis haec aeternarum veritatum theoria, una et officia ab iis consequentia, humanasque actiones, et rationalis vitae modum, et ordinem praescribentia, religionem naturalem constituant; hujus veritas est indubia, natura vero generatim indicata, modo ulterius evolvenda.

Naturalis igitur religionis veritas eo evidentiae gradu constat, quo de Dei, nostraque cogitantium, liberorumque animantium existentia certi vivimus. Unus est Materialista et Atheista, sibi ipsis semper contrarii, aeternoque inter mentem, et voluntatem dissidio, qui de hisce veritatibus non cogitent potius, quam cogitando dubitent. Te ipsum dum etiam cogitas, loqueris, agis, prius existere dubita, aut nega, mundumque universum, summum rerum ordinem, te ipsum cogitantem ex nihilo, ex fortuito atomorum concursu, ex aeterna rerum, hoc est, atomorum confusione provenire prius, si potes, tibi certo statue, quam de legis naturae veritate dubites. Neque enim de aliqua humana conventione, non de aliqua physica corporum lege agitur: quarum prima e remotissimis temporibus originem ducens, una secum traheret a caliginosa antiquitate incertitudinem; posteriorem vero a corporum phaenomenis satis demonstrari, verti posset in dubium.

De lege quidem agitur physico-morali, moralem obligationem secum ferente, et puro naturalis rationis dictamine demonstrata. Homines enim vero existimus, animantia rationalia, libera, nostrarum actionum arbitri, legis aeternae et legislatoris conscii, bonumque a malo, justum ab injusto discernentes. Quaenam hujus legis pars in dubium vocabitur? Quid enim? De hac nostra hominum physica existentia, ratione, voluntate; an de omnipotenti nostrae existentiae auctore, et attributis, totius naturalis legis, nostrorumque erga Deum officiorum fundamento, potest esse dubium?

Religio naturalis aeque ad intellectum, atque ad voluntatem spectans, dogmata et praecepta complectitur, totaque ex ratione agit, et actione observatur. Quaenam haec sint modo superest examinandum.

§. VI.

Religionis naturalis dogmata, praecepta, atque necessitas, contra Deismum.

Religionis naturalis dogmata, et fundamenta, et quae ex iis consequuntur officia hominis erga Deum, adeo sunt evidentia, ut ulteriori argumento opus non sit ad illius non modo veritatem, sed et necessitatem demonstrandum. Non ego hoc in loco contra Deistas, qui uni religionem naturalem inficiantur, longam texam dissertationem. Deismus, singulare illud humanae imbecillitatis argumentum, suamet absurditate cadit. In naturalismum potius declinant, qui sibi *spiritus fortes* nomine immerito blandiuntur. Sequentia dogmata, Theologia naturalis merito nuncupata, et officiorum religionis naturalis fundamenta, luculenter in Metaphysicis demonstrata, Deismum per se se evertunt; religionis veritatem conficiunt. Si illius necessitatem ex iisdem

fundamentis evidenti idearum connexione ulterius impraesentiarum deducamus; satis superque confirmatum erit propositum argumentum.

En igitur Religionis naturalis dogmata alibi demonstrata. I. *Unius Dei existentia*. De hac quidem facile convenit Deista: neque enim de se dictum illud vult: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. II. *Creatio, seu munus creatoris uni Deo assertum*: III. *Omnipotentia Dei, seu primae caussae omnium creaturarum possibilium*. IV. *Sapientia infinita Numinis*. V. *Infinita illius Bonitas, atque Beneficentia*. VI. *Providentia Dei erga creaturas universim, potissimum vero erga homines*. VII. *Legislatoris munus Deo assertum*: *et hinc* VIII. *Justitia atque Misericordia, hoc est, moralium actionum remunerator Deus*. IX. *Humanarum animarum immortalitas atque vita futura*. X. *Tandem humanarum actionum libertas; indeque meritum, et demeritum*.

Singulas hasce veritates, necessaria omnium moralium scientiarum fundamenta, citato opere luculenter demonstrata, impraesentiarum indicare sufficiat, ut naturalis religionis praecepta, et cultum docendo, quae illius sint dogmata theorica, et ubi illa demonstramus, in Ethica non desiderent. Providentiam imprimis nollent, et inficiantur Deistae, circa posteriora, quae indicavimus, capita parum inter se convenientes. Ex hisce fundamentis sponte sua descendunt illa erga Deum officia, quae secum ferunt, aut potius existunt religionis naturalis cultus, et observantia. Cultus generatim est: Reverentia erga personam aliquam ob illius meriti dignitatem. Alius est pure internus, in actibus animae tantummodo internis consistens: alius est externus, praeter internos actus, externas etiam actiones animum indicantes complectens. Multiplici utriusque cultus

divisione, et notionibus praetermissis, ne longius quam opus est divagemur, in religionis naturalis officia, cultum etiam secum ferentia, descendamus.

I. *Primus religionis naturalis actus atque officium est religiosa admiratio ex operum Dei, ex mundanae machinae circumspectione, atque meditatione necessario consequens.* Admirationem definire superfluit. Clarius enim intelligitur, quam verbis explicetur, simplex ille animae sensus, quo objectum opinione nostra majus aut minus, melius aut pejus, existimamus, despicimus, aut detestamur. Alia idcirco est admiratio existimationis, quae vulgo admirationis nomine intelligitur; alia vero despectus, aut detestationis. Qui vero in mente hominis, mundanam hanc machinam circumspicientis, prior eliceretur affectus, quam profunda de tanti operis architecto admiratio? Hominem parumper suppone, qualis modo est, 30., aut 40. annos natum repente in mundanum theatrum a Deo productum: concipe, et expone, si potes, quaenam esset illius hominis in naturalem ecstasim rapti admiratio, qui sensus, atque imaginum vicissitudo?

II. *Admirationem consequi debet profunda veneratio, et amor: secundum religionis naturalis officium.* Veneratio, inquam, et amor, qui una secum ferant religiosam pietatem, suavem scilicet illilam amoris modificationem, et intensionem, quae recte definiri potest: *Studiosa voluntas erga Deum ex illius amore derivans;* est igitur virtus hominis Deum fide, aut scientia profitentis. De religiosa pietate loquimur, ut illam a pietate erga parentes inferius exponenda distinguamus. Pietas enim generatim est: studiosa voluntas suo auctori placendi, et serviendi, quae in religionem, et paternam dividitur: quarum prima Deum respicit, secunda vero parentes. Veneratio autem est: *obsequiosa e-*

aestimatio alicujus personae, ob illius meriti dignitatem.

III. *Æternum illud nostrae admirationis, profundaeque venerationis, et amoris objectum honorare, naturalis rationis dictamen, et alterum religionis officium est.* Cum autem honor sit: *manifestatio internae aestimationis de alterius praestantia, externis actionibus consistens*; honor Deo praestandus cum internum, tum externum cultum complectitur: intellectu, voluntate, verbis, et actionibus peragitur.

IV. *Legis naturalis praeceptorum observantia sacrum imprimis debet esse officium.* Atque haec est pars cultus potissima, quo Deum religioso honore prosequi possimus. Qui fieri potest, ut Legislatorem maximi aestimemus, veneratione, amore, et honore prosequamur, dum illius legem parum curando contemnimus? Contra vero legem exacte observare in Legislatoris aestimationem, amorem, et honorem cedit, internumque propterea atque externum cultum secum defert.

V. *Gratitudo; hoc est gratias Deo frequenter agere pro acceptis jam beneficiis, pro accipiendis vero preces ad Deum fundere.* Si quidquid sumus, et habemus, Numinis beneficium est; si ob ipsius providentiam, atque beneficentiam futura omnia, spei nostrae, desiderii, aut timoris objecta, dependent: nullumque est vitae momentum beneficii loco non habendum, et in quo nos, nostraque omnia servari, divinae providentiae non sit tribuendum, quisnam inde esse debeat nostrae gratitudinis sensus, cum in animo conceptus, tum etiam verbis et factis ad aliorum exemplum, et instructionem manifestatus, ex te ipso quaere, tibi ipsi respondeas. Quidnam rei sunt humana accepta, speranda, timenda, si ad divina referantur? Nihilominus ob tantilli mo-

menti beneficium, spem, timorem, ex humani animi indole gratiae hominibus aguntur, funduntur preces, internum externumque profitemur cultum. Quanta et qualia sint oportet nostra erga Deum officia, quandoquidem Dei sumus, a Deo venimus, per eum vivimus, ad ipsum tendimus?

VI. *Deum laudibus celebret, quantum nostra cogitandi loquendique facultas permittit, maxime commendet, profundaque veneratione de illo ubique cogitet, loquatur: neque ab aliis diverso modo cogitari et loqui, se praesente, patiatur.*

VII. *Bene semper de Dei Bonitate speret, de ejusdem Justitia ob humana peccata timeat.* Injurius enim vero Numini esset, nullamque infinitudinis ideam haberet, qui de infinita Auctoris nostri Bonitate desperaret. Neque minus Justitiae infinitae opponitur, qui propriae reitatis conscius, nullo tamen de justo Numine percelleretur timore. Quoniam igitur Divina Bonitate confirmatur spes, Justitia vero timor: ab illa vero excluditur desperatio, posteriori securitas; spe semper et timore, exclusis desperatione et securitate, vivendum. Virtutes Theologales Spes et Charitas, quae una cum Fide revelatae Christianae religionis fundamentum, et perfectio existunt, naturalis etiam legis et religionis officia et virtutes habentur. Id unum intercedit discrimen, quod Christianae Religionis Fides, Spes, Charitas supernaturali Numinis auxilio innituntur; in naturali religione viribus tantum naturalibus credimus, speramus, diligimus. Fides eatenus etiam in religione naturali locum habet, quatenus humana ratio, officia religionis demonstrans, revelatio quaedam naturae existit: cujus ope et testimonio auctori naturae, se nobis hoc naturali lumine revelanti, credimus. Si quis mihi opponeret scientiam et fidem, hoc est evidentiam cum obscuritate a me confundi, meoque

sensu scientias omnes vocari posse naturalem fidem; responsionis loco esset ipsiusmet periodi repetitio.

VIII. *Cultum etiam aliquem externum statuat; quo internus externusque cultus uni Deo praestitus significetur*. Ad Religionis naturalis officium, octava hac regula praescriptum, recte intelligendum altius petenda res est, et fusiori oratione exponenda. Antequam igitur propositum argumentum absolvamus, paullulum digrediendo immoremur.

Natura cultus, ejusque divisio in religiosum et civilem: digressio incidens.

Cultus generatim est, honor et reverentia alicui personae praestitus. Idem significant synonimae fere voces, *cultus*, *reverentia*, *honor*, *observantia*, *servitus*; licet secundum mentem atque intentionem *colentis* plurimum inter se differant mentis ideae et affectus, iis vocibus generatim significatae, pro illorum diversitate et merito, quae colimus et observamus. Res tota ex modo dicendis de argumento moralis Philosophiae proprio, et omni Religioni necessario, clarius patebit. Religio naturalis continet dogmata, cultum, mores, seu praecepta. Priora indicavimus; posteriora inferius prosequemur. Cultus, qui medius est, non omittendus. Cultus dividitur primo in civilem et religiosum: civilis hominibus, secundus Deo nos conciliat. Uterque in internum et externum, in absolutum et relativum dividitur. Cultus internus in mente et animo totus est, internisque eorum actibus praestatur. Ejusmodi honore Deum coleret aegrotus, mente quidem sanus, linguae tamen ceterarumque corporis partium motus expers, qui fidei, admirationis, reverentiae, spei, charitatis, et timoris actus eliceret. Cultus externus sunt externae illae hominum actiones, caeremoniae et ritus vulgo nuncupatae, interni cultus interpretes et comites. Caeremoniae seu ritus gene-

ratim est: actio sensibilis ex arbitrio potissimum instituentis, vel ex natura sua, officium significans et praestans, et ad finem propositum dirigens. Cultus hic externus caeremoniis consistens, perinde ut internus, alius est civilis, religiosus alter. Utriusque ritus seu caeremoniae partim a natura dictantur, maxima tamen pars ab institutione civili aut religiosa originem suam habent. Actiones affectus animi significantes, sunt quaedam naturae dialectus, et lingua. Prosternationes, aliosque gestus admirationem, preces existimationem, dolorem, gaudium indicantes natura docet, nisi nostra me fallant praejudicia. Civiles ritus instituunt homines, seu nationes: religiosos autem Deus, et quibus a Deo commissa est Religionis cura; puta Moysis et Christianae Religionis Pastores. Ita apud omnes fere Europae nationes caput detegere, cum amico obviam imus, corpus inclinare, manum osculari, ad dextram collocare, primumque locum exhibere, urbani sunt ritus, quibus ex communi arbitrio, nostra erga amicum aestimatione significata, urbanitatis officium praestamus ad hominem colendum et demerendum. Par etiam est sacrorum rituum ratio, nisi quod sublimiorem finem et objectum, Deum scilicet optimum maximum, respiciant, et partem Religionis componant. Civilis cultus externus, sine interno est civile mendacium; religiosus autem hypocrisia. Expositi cultus possunt esse absoluti aut relativi. Absolutus personam tantum respicit, quam colimus ob propriam illius dignitatem et meritum: relativus ita personam honorat, ut honor ille in digniorem personam referatur. Exemplum sit in civili Societate. Regem honoramus ob regiam illius dignitatem: Legatum vero regium ob gratiam et auctoritatem principis; qua sublata, cessat etiam cultus. In cultu civili absoluto et relativo multiplex distinguitur honoris gradus, licet

iisdem actionibus et gestibus, iisdemque verbis; propter linguarum imperfectionem, et inopiam, peragantur. Iisdem saepe vocibus, eadem actione Regem, Legatum, Magnates colimus. Tota cultuum distinctio ex animo et intentione pendet. Res perinde in cultu religioso. Cultus religiosus est honor Dei propter Deum ipsum: vel creaturae propter Deum, Deique supernaturalia dona, et gratiam creaturae communicatam. Priori modo est cultus Dei absolutus, alio nomine, *adoratio* suprema, et proprie dicta, nuncupatus: posteriori modo est cultus creaturae relativus ad Deum. Theologi distinctionis et claritatis gratia priorem adorationem dicunt *latriam*, posteriorem vero *duliam*. Posteriorem hunc inferioris gradus cultum vere esse religiosum atque honestum facile probatu esset, si de Christiano dogmate ageremus. De illo tamen inferius pauca, cum de idololatria sermo erit. Ad argumentum de quo agimus, faciunt sequentia. 1. Opusne est ad religionem naturalem externus cultus, illoque cessante in oblivionem iret religio? 2. Quisnam erat externus cultus in Religione ab Adamo usque ad Moysem? 3. Quisnam illius cultus auctor?

Primam quaestionem de religione naturali, Mosaicam et Christianam praecedente, potissimum disputo, quod duplex haec postrema ab ipsamet earum institutione et auctoribus externum cultum per se ferebant. De omnibus tamen generatim dico: in civilibus societatibus omni verae religioni necessarius est cultus externus. Id primo ex humanae naturae indole descendit. Qui fieri potest, ut homines, mente et animo naturalem religionem profitentes, de infinita omnipotentis Creatoris, cujus creaturae sumus, a quo nostra omnia habemus, singulisque momentis pendemus, de Dei, inquam, beneficentia, misericordia, bonitate, providentia, justitia certi,

de propria etiam infirmitate, de acceptis beneficiis, de commissis peccatis conscii, oculis ad coelum et astra elevatis, gloriam Dei enarrantia, pro varia passionum vicissitudine, modo in admirationem et laudes non erumperent; se se aliquando non prosternerent veri adoratores; laboribus afflicti non funderent preces; beneficiorum conscii gratias non redderent? Haec enim vero omnia, non modo dictat ratio, sed sponte etiam et naturali instinctu agimus. Homo mente et animo religiosus, quin internos sensus et ideas externis actionibus, sibimet ipsi spontaneis, enuntiaret, et gestuum lingua non loqueretur, idem esset, atque homo linguae et verborum sapiens ab omni loquendi usu semper abstineret, et contra spontaneum loquendi genium constanter reluctaretur. 2. Sensibus potissimum ducimur: sensibilia objecta profundius et vividius nos afficiunt: veritates quaecumque, antiqua facta e memoria facile elabentia, si figuris et actionibus repraesententur, memori menti tenacius haerent, rem ob oculos ponunt, et animum suaviter flectunt. 3. Religiosi cultus et caeremoniae sunt perennis quaedam religionis schola, et veluti religiosorum dogmatum et factorum dictionarium existunt, actionibus potissimum consistens, quibus una cum respondentibus verbis religionis veritates, mysteria, facta ob oculos ponuntur, in memoriam revocantur, et mentem ulterius semper confirmant. Hujus scholae frequentandae, videndae, et aliquo modo intelligendae a prima infantia ad ultimam senectutem capaces existimus. Nulla est Christiana caeremonia, idem de Mosaica, idem de Noetica dico, quae Christianum aliquod dogma, mysterium, veritatem non significet, et ob oculos ponat, Sacram caeremoniam videns, quid illa significet, laudabiliter curiosus, *interroga patres tuos, et do-*

cebunt te (*a*) . Quid dominica dies significet, quae nominis, et praescriptae quietis ratio? Quia, respondebunt, dies Domini est, uni Domino sacranda; quia ita Dominus hominem creando praecepit. Hic igitur ritus in memoriam semper revocat Deum unum, creatorem, legislatorem: dogmata docet, de officio monet. Quot veritates uno ritu non edocemur? Quod de Christiana religione dico, de naturali pariter dicendum. Mente parumper concipe cultum omnem externum, caeremonias, ritus religiosos e muudo tolli. Nulla supersint templa; nulla altaria, nullum externum religionis exercitium. Tum vero sublata pariter essent sacra illa Societatis vincula, publicis religionis functionibus confirmata; unaque superesset religionis theoria, non modo juveniles mentes usque ad 15. et amplius annos, sed universae plebis captum superans, et paullatim obliteranda. Quomodo tamen, inquiunt, increduli Philosophastri, cum sententia illa componere a Divino Christianae religionis Auctore pronuntiata: *in spiritu et veritate oportet adorare ?* (*b*) Adorationem in spiritu et veritate cum externo cultu componi, suomet exemplo demonstravit Divinus Auctor, publici cultus exactissimus observator. Adorationem igitur in spiritu et veritate Hebraeis maxime commendat, quia, inquit, *populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*c*). Secundae quaestioni facilis est responsio. Religionis naturalis cultus iis actionibus praestabatur, quas, ut modo dixi, sponte elicimus, et ratio confirmat. Oblationes praeterea, sacrificia, et altaria in sacra pagina legimus in Dei honorem erecta ante Mosaicam revelationem. Quis tamen hujusmodi cultus et caeremoniarum au-

---

(*a*) Job. C. VIII v 8. (*b*) S. Johann. c. IV. v. 24.
(*c*) S. Matth. c. XV. v. 8.

ctor, quod tertio loco solvendum proposui ? Respondeo. Primus auctor Deus. Deinde vero ratio naturalis, seu clarum rationis lumen protoparenti a Deo datum, et infusum, quo ab omni praejudicio immunis, quae Deo, quae sibi, quae futuris hominibus deberentur officia agnovit, filiis et tardis nepotibus tradidit. Primus, inquam, auctor Deus: quia hominem ita comparavit, rationis lumen indidit, eam illi physicam, rationalem, moralem indolem et virtutem donavit, ut Deum, officia, mores agnosceret, aut agnoscere posset, et deberet: in internum externumque cultum sponte et naturali genio homines ducerentur: ita ut, hisce officiis non observatis, essent *inexcusabiles*. (*a*) Secundum auctorem dixi hominem: propterea quod Adamus dicta modo indole, lumine, et naturali genio a Deo donatus, fieri non poterat, quin naturalem religionem proprio lumine detegeret. Oppositum sensum statuere, idem plane esset, atque si diceres: hominem sanis oculis praeditum luminosa aut illuminata objecta ante se posita detegere non posse.

Homo igitur, accepto a Deo rationis lumine et indole, hoc est, naturalis ratio, religionem naturalem et officia detexit, et impositam a Deo esse agnovit? Ita quidem, respondeo, adductis superius momentis innixus. Idemne etiam, pergis, de oblationibus et sacrificiis per antediluvianos patriarchas peractis statuendum? Quid de postremis hisce sentiam, respondeo, paucis statim et seorsim indicabitur.

At haec omnia, oppones, supernaturali potius revelatione a Deo accepit, quam naturali lumine detexit primus homo, rem omnem remotis nepotibus traditurus. 1. Cum Deo enim in terrestri para-

(*a*) S. Paullus ad Romanos. c. I. v. 20.

diso conversatus, quid potius, quam legem a Divino Legislatore in conversatione acciperet. 2. Quid est haec recta ratio naturalis, quae tantopere a nobis effertur, cuique sublimes adeo cognitiones, scientiam, et inventa tribuimus? 3. Praediti forsan non erant naturali ratione postdiluviani homines, cultae nationes, ut ea ferebant tempora, Ægyptii, Persae, Chaldaei, Phoenicii, Indiani, et quod majus est, Graeci, Romanique Philosophi in tot sectas divisi? At horum hominum ratio mille errorum monstra somniavit, circa verum religionis naturalis fundamentum caeca. Aliam rationem habuit Adamus, aliam vero Plato, Epicurus, Zeno, Aristoteles? 4. Si religio naturalis, ut ceterae artes, atque scientiae naturales opus essent humanae rationis, eadem esset omnium ratio: ab imperfectis principiis et fundamentis paulatim ad perfectionem usque deducerentur. Hic enimvero semper fuit omnium humanarum inventionum progressus. En Geometriae, Legislationis, Physicae, reliquarumque scientiarum et artium rationem. Quantum tamen ab hac regula abludit naturalis religio? In prima sui origine jam pura, generationum successione in deterius potius degeneravit, quam novis accessionibus perficeretur.

Ita, fateor, ratiocinantur et statuunt aliqui docti homines, rationis, meo quidem judicio, plus justo depressores. Oppositus sensus, superius expositus et confirmatus, ab hisce difficultatibus vindicandus superest. Ad primum igitur dico: supernaturali lumine a Deo revelari, quae naturali assequi facile et sponte possumus, res esset superflua; atque propterea Deo non tribuenda. Quaenam inter Deum et protoparentes fuerit conversatio, in sacra pagina legimus: quonam modo, quanam lingua, ignoramus. Hominem tamen a Deo prima illa conversatione naturalem religionem supernaturali lumine fuisse edoctum.

pia tantum est interpretatio, a demonstratione longe remota.

Ad secundum. Quod secundo quaeritur, et quaerendo opponitur, in arte critica, de criterio veritatis agentes, exposuimus. Paucis dico; recta ratio est: *clara ratio a praejudiciis circa rem judicandam libera*, aut contra praejudicia pronuntians, sola idearum connexione, et quadam spirituali visione ducta. Cum magna hominum multitudo contrariis praejudiciis, affectibus, et passionibus circa eandem rem incitatur, et tamen communis est eorum omnium sententia, eo in casu et criterium veritatis, et quid recta ratio, quidque rectae rationis usus existat, manifeste animadvertimus. Et hinc unus idemque homo modo recta claraque ratione, modo devia et obscura sententiam feret. Jam vero unus forsan hactenus fuit Adamus ab omni praejudicio immunis: claram mentem Adamo fuisse inditam, infinita Auctoris Bonitas dubitare non permittit: tandem naturalis religionis atque legis veritates ejus sunt indolis et mutuae connexionis, ut facile per se se ab humana mente videri possint, aliasque ex aliis deduci.

Ad tertium. Non is ego sum, qui animas essentia diversas in humana specie admittam: aequalitatem perfectionis in humanis animabus statuo, quod rei fundum, seu spiritualem substantiam attinet. Quot tamen et qualia discriminis capita inter hominem et homines, inter primi hominis mentem a Deo creatam puram, claram, sinceram, nullo ex capite offuscatam, et illam Philosophorum mille vitiis, praejudiciis et passionibus affectam, et involutam! Duos homines tibi statue ingenio pares, quorum mens et animo primus ab omni praejudicio et passione liber, de objecto ferat sententiam, dum alterius, praejudicia cum lacte hausta, et educatione aucta,

vitiosaeque passiones, errores antiqui a parentibus transmissi, novique proprio marte concepti, animum et mentem a videnda, judicanda, et amplectenda veritate avertunt. Hic vero fuit inter Adamum et Philosophos adductasque Nationes casus. In Adamo recens creato nulli errores, nulla praejudicia, nullae passiones, mens clara, rectaque proinde ratio, qualis hominem Dei ipsius opus decebat. Quid in mundo frequentius, quam ut a parentibus, aut Natione virtutibus, morum honestate, et prudentia commendabili, post aliquot generationes nascantur nepotes morum corruptela, vitiis, ignorantia detestabiles? Eruntne postremi hi e homines ab eorum ignorantia et vitiis excusabiles, aut ex infelici eorum statu argumentaberis, eamdem etiam fuisse parentum conditionem? En ti[illegible]aesentis quaestionis casum et solutionem, et optimarum institutionum, humanarum etiam legum conditionem.

Ad quartum. Quod quarto loco adducitur, ex modo dictis solvitur. Naturales scientiae et artes tempore discuntur et dediscuntur. Graecia Demosthenis et Platonis tempore luminosa, fluentibus saeculis, lumine fere semper remittente, ita declinavit in barbariem, ut Graeciam modo in Graecia quaeramus. Quae alia fuit Romanae eruditionis et culturae conditio, a Tullio per tot secula semper declinans? Quid igitur mirum, si naturalis Legis et Religionis ideae in primorum hominum mente, a praejudiciis et passionibus immunium, claraе, fluxu saeculorum, hominibus in carnis desideria, vitia, passiones sensim distractis, et magis allectis, paullatim obscurarentur, in mille errores degenerarent? Rem igitur concludamus, adducti superius testimonii repetitione. » Gentes, quae Legem non habent, ipsae » sibi sunt lex, naturaliter ea, quae Legis sunt, » faciunt, testimonium illis reddente conscientia: it

» ut sint inexcusabiles. » (*a*) Si inexcusabiles : ergo Legem agnoscere poterant et debebant. Si id poterant Gentes mille erroribus, praejudiciis, et passionibus imbuti, distracti, corrupti ; potiori jure faciliusque poterat Adamus, ab hisce defectibus immunis.

Quid tamen de oblationibus et sacrificiis dicendum ; parte enimvero externi cultus, quae ante Moysem jam erat in usu? Illam etiam Adamus naturali lumine et ratiocinio deprehendit, probavit, statuit? Unde tamen Adamo constitit sacrificia hujusmodi et oblationes Deo esse gratas, pioque et prudenti Religionis sensu, pro gratiarum actione, pro expiandis peccatis, pro gratia obtinenda, omnipotenti Deo offerri? Respondeo : nisi me revelatae Religionis cultorem, et veritatibus a prima pueritia imbutum, haustа praejudiciis fallere. Adamus se se omnipoteutis Dei creaturam esse videns, seseque suaque omnia Dei esse, beneficii loco haberi, omnia Deum colentibus ab ipso esse speranda, peccantibus vero timenda cognoscens, in illam ratiocinationem et agendi modum erga Deum sponte et volens devenit, qua homo cum superiori Principe ageret : in gratitudinis argumentum se se suaque omnia Domini servitio exhibet, interno externoque cultu hominem demeretur, benevolo et benefico gratia, laudibus, prosternationibus, humilibus salutationibus respondet, iratum aut offensum precibus, poenitentia, donis, civilique rerum suarum sacrificio demulcet, placat, conciliat. Si haec omnia erga homines, non ex praejudicio educationis, sed ex Naturae genio sponte agimus ; unde nam naturalis hic erga Deum sensus Adamo negabitur? Quod si haec tibi non arrideat sententia, revelationi non facile probandae,

---

(*a*) S. Paullus ad Romanos. C. II. v. 14., et I. v. 20.

sacrificiorum institutionem tribuas oportet. Sed ad ultimum, quod superest, Religionis naturalis officium regrediamur.

IX. *Postremum tandem religionis naturalis officium est, humanae naturae inditum, ita animo esse constanter affectum, ut Dei testimonio credamus, cum de hujusmodi testimonii existentia dubitare prudenter non possumus*. Atque hoc pacto religio naturalis ad revelatam, seu Christianam per se ducit: qua de re inferius erit sermo. Certi enim vero sumus, Deum tandem a plurimis jam saeculis loquutum, legem olim datam, promissum Messiam venisse. De Socratis potius morte, apud omnes certa, dubitari potius posset, inquit Rosseau, quam de Christi missione, atque praedicatione.

Religionis naturalis necessitas, quae una superest asserenda, tam quoad dogmata, quam etiam quoad praecepta, et cultum, ex hucusque dictis ab existentia et attributis Dei, ex natura hominis, atque ex mundani systematis constitutione demonstratur. Quin imo, cum prius sit, esse hominem, quam Christianum, Hebraeum, Civem &c., possitque idcirco concipi, et existere homo, quin religione aliqua a naturali distincta teneatur; homo vero ex adverso nedum existere, sed nec concipi quidem possit, quin sit et concipiatur creatura rationalis, libera, totum suum esse habens a Deo, per Deum vivens, in Deum tendens, omnibusque propterea gratitudinis, amoris, laudis, honoris, et cultus officiis teneatur; haec una religio non modo necessaria, sed est etiam homini essentialis. Stare ne aut concipi etiam posset mundus materialis, quin Legibus physicis constantibus ageretur, quarum perennitate ordo rerum staret atque vicissitudo? Quonam pariter modo regeretur mundus moralis sine le-

ge morali, cujus primum et praecipuum caput est religio naturalis? Quid plura? Homini ad virtutem, ad Societatem, ad naturalem beatitudinem nato, si naturalis religionis esset expers, nulla esse posset beatitudo, vera virtus, aut cum aliis hominibus Societas. Adeo verum est, non modo ex attributis et existentia Dei, ex natura et indole hominum sed ex fine etiam, ad quem ipsi ab omnipotenti rerum creatore destinati sunt, sponte sua consequi religionis naturalis necessitatem. Sed tria haec magni quidem momenti argumenta, et rem penitius meditanti satis per se se manifesta, ulterius evolvamus.

Religionis naturalis fundamentis, et dogmatibus opponuntur illa omnia errorum monstra lucurlenter in Metaphysicis examinata: imprimis vero Atheismus, Deismus, Idololatria. Officiis vero generatim, atque cultui Impietas, Superstitio, Fanatismus; ut caetera praetermittam singulis officiis opposita, suis locis jam indicata, aut inferius judicanda. Hujus loci non est de Atheismo, Deismo, aliisque ejusdem furfuris erroribus agere: satis in Metaphysica exposita est eorum notio, et falsitas demonstrata. Si Dei existentia, providentia, caeteraque attributa, atque humana libertas constant, nullum de religione naturali potest esse dubium: constare vero, citato loco confectum est: hoc unum morali Philosopho satis est, ut religionis naturalis officia tuto pede prosequatur: adeo vero necessarium, et eo fundamento sublato, tota etiam ruat philosophia moralis, moresque humani, vitia et virtutes res evadant omnino arbitrariae.

Impietas religiosa vitium pietati erga Deum oppositum, ex hominis impii charactere dignoscenda est. Impium dicimus hominem, qui Deum, quem profitetur, verbis aut factis despicere apparet. Cum incredulo non convenit; quod incredulus, cum Deum

non agnoscat , illum etiam non despicit : contra ac impii nomine intelligimus. Neque haereticus per se se est impius ; nisi errori conjungat etiam despectum. Perinde igitur ut incredulus , haereticus , impius , incredulitas etiam , haeresis , impietas inter se distinguuntur . Incredulitas est voluntarius defectus Fidei : Haeresis contumax error Fidei : Impietas est irreverentiae affectio erga Deum , ex illius despectu derivans .

Rationabili sinceroque religionis cultui , zelo , atque pietati opponuntur , 2. Superstitio et Fanatismus . Sunt homines temperamento fervidi , plusque imaginationis spectris , quam rationis claritate valentes. Sunt etiam natura timidi , et ratione debiles. Inter duplicis hujusce temperamenti characteres tertius mediat , homines scilicet aurea indole praediti , qui quidquid timeant , audeant , imaginentur . ardeant, ratione tamen judicioque ita pollent , ut nihil agant prudenti consilio non probatum . De rebus ad religionem spectantibus cogitent , loquantur , agant homines diversis hisce characteribus praediti . Postremi, prudenti dictamine semper ducti , sincerus esset zelus , cultus , pietas : prior ferventi aeque atque tenebroso zelo furens , phantasia potius , quam ratione audita , sub falsa religionis specie mille patraret crimina, religioni et naturali rationi contraria : verusque existeret *Fanaticus*. Secundus religiose imbecillis , et ignarus pietatis amator , sibi undique imprudenter timens , et cavens , puerilia multa , inutilia , et vana religioso ritu tenet et observat , tamquam verus esset cultus , religio et pietas . Hunc vero hominem nuncupamus superstitiosum . Sed de superstitione et fanatismo fusius postea agendum. Cum religio naturalis sit virtutum omnium moralium fundamentum , necessaria et essentialis cuicumque homini singulari , rationis lumine praedito ; quid de illius necessitate in civilibus Societatibus ?

§. VII.

Homo religionis naturalis expers, seu Atheus, potestne habere virtutes morales?

Genevensis Philosophus *Rosseau* (*a*), homo, si quis alius, paradoxotatos, sibique ipsi saepe contrarius, cum atheisticae honestatis fuisset aliquando defensor, proprio tandem nomini consulens, errore illo deposito, oppositum tenuit sensum: qui unus esse potest hominis recte cogitantis, et sincere loquentis sententia. Omnia enim vero, quae humanam mentem suadere possunt, argumenta contra Atheorum honestatem, et morales virtutes faciunt, et sine naturali religione demonstrant esse impossibiles. Id vero vel una conficit Atheismi notio et principia, atque virtutis seu honestatis natura. Secundum Atheum nullus est Deus, nulla religio naturalis, nullum morale jus naturae, nullus spiritus, nulla libertas, nulla vita futura, nullum tandem bonum aut malum humanas leges antecedens. Omnes hominum actiones natura sua in ordine morali sunt indifferentes. Perfectiorum pecudum more fatali necessitate agitur, vivitur, moritur. En atheisticae doctrinae compendium, aeternum humanae imbecillitatis dedecus. Ex alia parte honestas et virtus moralis est, constans habitus secundum officia cogitandi, loquendi, agendi, meriti aut demeriti capax.

Si igitur nulla sunt officia naturalia; nulla etiam est virtus. Ubi nulla est lex, nulla etiam est actio legi conformis: cujusmodi esse oportet virtutes omnes morales. Quid enim vero morum honestas, nisi secundum leges honestatis vivere? Si igitur legem tollis; una cum fundamento, et regula, tollitur etiam actio moralis fundamento innixa. Praeterea di-

---

(*a*) Rousseau sur les theatres pag. 165. note.

ei ne potest laude dignum, et meriti capax, quod citra libertatem, sed fatali necessitate peragitur? Quod necessario praestamus, omni non agendi, et non volendi libertate sublata? Ex virtute et honestate agere, est proculdubio bonum morale: unde autem id bonum sublato Deo? Non quidem a Deo, qui secundum Atheistam non existit: non a lege aliqua naturali: quae enim sine legislatore lex esse potest? Non etiam ex natura rerum: omnia, legislatore, legeque sublatis, sunt omnino indifferentia. Unae supersunt humanae civilium societatum leges, a quibus, secundum Atheos, morales virtutes derivari possint. Sed qualenam virtutum moralium et honestatis fundamentum, et regula esse possunt civiles leges naturali justitia, et lege, atque aeterni legislatoris voluntate destitutae?

1. Cum diversae nationes, quae sui juris sunt, nullis civilibus legibus inter se communibus regantur, atque idcirco ad se se mutuo relatae in statu naturae existant; quidquid aliae in alias, aut peculiares unius in aliarum cives agant, loquantur, machinentur, neque justi, neque injusti esse possunt. Quae enim honestas, virtus, justitia, ubi nullum est honestatis fundamentum? Italus erga alios Italos honestus, et moralibus virtutibus ornatus, erga universos caeterarum gentium cives nullam exercere posset moralem virtutem, neque homo honestus audire: cum nullam cum iis societatem civilem habeat, nullisque communibus legibus utatur. Nihil igitur sceleris cogitari posset, quod ab una in aliam gentem innocue committi nequeat. Quo quidem consequentiarum monstro, ipsius etiam Athei mentem et animum percellente, duo aeque demonstrantur, naturalem legem, et religionem existere, atque civiles leges virtutum moralium fundamentum non esse. 2. de civilibus legibus quaerimus, justaene an

injustae sint, saepeque iniquas, atque injustas esse pronuntiamus; aliquid igitur est civilium legum fundamentum illas necessario antecedens, unde justae, aut injustae dici possint: legesque propterea neque sibi ipsis, neque humanis actionibus secundum, aut contra leges peractis, regula honestatis, justi aut injusti esse possunt.

3. Humanae leges aliquot tantum externas actiones statuunt, jubent, aut prohibent: de pluribus etiam publicis silent: occulta omnia, cogitata, dicta, facta iis legibus proculdubio non obnoxia, secundum Athei doctrinam neque prohibentur, neque mandantur: nullus enim naturalis legislator civiles leges antecedit. Quidquid igitur adversus suos etiam concives, patrem etiam, matrem, aut filios, una tecum civili, familiarique societate viventes, animo concipias, velis, machineris, occulte committas; aeque eris a vitio atque a virtute alienus. In Athei igitur hypothesi, quidquid animo latet, nullus voluntatis actus moralem honestatem, aut malitiam habet; cum extra legum provinciam, unicum honestatis, aut malitiae fundamentum, et regulam, existant: at in sola animae voluntate, ejusque actibus vera virtus, et honestas consistunt. Externae et publicae actiones, praeterquam quod in Athei hypothesi ab humana machina fatali necessitate praestantur, ab interna voluntate, et animo totum derivant meritum. Civem Atheistam tibi statue, qui civilibus legibus ita invitus, atque ob solum timorem publice morem gerat ut privatim opposita agat, externam Legis observantiam animo semper condemnet, et cum tuto potest, facto etiam reprobet. Hominem hac animi indole praeditum, et civilem societatem colentem, ejusque leges observantem, dicesne honestum, et moralibus virtutibus ornatum? Suamne fortunam, opes, famam, vitam hujusmo-

di Atheo committet Atheus? At haec una esse potest eorum honestas, et virtutes morales. Leges publicas tantum actiones mandantes publica mechanica obedientia observantur. Ad hoc unum extenduntur Leges: caetera omnia, extra illarum provinciam posita, neque virtutes, neque vitia praeseferunt. Quod civilibus politicisque legibus utilitas atque securitas civium, et Reipublicae quaeritur, et statuitur, non vero actionum honestas, atque morales virtutes. Sed de argumento per se evidenti ulterius immorari pudet. Communi veterum etiam Philosophorum sententia, inter Atheos, Epicureos, aliosque hujus farinae homines, non modo honestas, moralesque virtutes, sed ne ulla quidem moralis philosophia esse poterat.

Unde tamen est, inquiunt oppositi paradoxi male feriati fautores, unde est, quod nonnulli inter modernas Nationes fuerint, sintque etiam Athei vitae honestate, et moralibus virtutibus, et morum suavitate commendabiles? Respondeo: quocumque nomine homines ab eorum amicis praedicentur, hoc unum in Atheo admitti potest, suavior forsan, et humanior indoles, quietis, et tranquillitatis amica, qua quidem ut frui possit, publica legum observantia, et quaedam socialium virtutum species, opus est. Quot enim homines passim non agnoscimus, et digito non demonstramus, qui etsi Deum, naturalemque legem et religionem profiteantur, ita in mundo vivunt, ut eos minime malos dicas, omnis tamen virtutis prorsus expertes? Mirum enim, quantum inter se distent duo haec extrema. Si vero haec in homine Theista, atque religioso, cujus animo semper inest et agit naturalis honestatis, et justitiae amor, futuri praemii spes, poenarum timor, religionis sensus, conscientiae stimulus; hoc est, virtutum principium, materia, finis, motiva et o-

bjecta; quid, inquam, in Atheo fiet, in quo haec omnia desiderantur virtutum fundamenta, atque rationes? Sublato Deo, religione et lege negata, cum nullus amplius supersit sincerus verae virtutis amor, timor, spes, conscientiae stimulus, et perennia monita, qui fieri posset, ut passioni cuicumque non cedatur, et scelera quaecumque placidissime non perpetrentur?

Rem luculentissime confirmat Baylii testimonium, hominis scilicet, si quis alius, Atheis maxime amici, de illis bene meriti, et atheisticae reipublicae patroni; nullam tamen in iis virtutem, sed scelera omnia agnoscentis (*a*).

Sed quonam pacto Athei virtutem ex societate civili, et illius legibus repetere, ad illamque revocare, cum ut diximus religione naturali sublata,

---

(a) *Sont des ames sovillées de toute sorte des vices, et capables des plus noires mechancetez, qui s' apercevant, que la crainte des Enfers vient quelque fois troubler leur repos, et comprenant, qu' il est de leur interet, qu' il n' y ait de Dieu, tachent de se le persuader. Bayle Pens. diver. §. CLXX.*

VI. Des qu' un homme est capable de vouloir être Athée, et de faire des eforts pour cela, il est de la plus effroyable malice, qui puisse tomber dans une âme; et si Dieu ne fait des miracles pour le convertir, c' est un homme, qui fera tous les crimes, qui seront en son pouvoir, quoiqu' il ne puisse venir a bout de passer dans l' Atheisme. Ibidem.

Les Athées, qui commencent par douter, d' avec ceux qui finissent par douter. Ceux là sont pour l' ordinaire des faux sçavans, qui se piquent de raison, et de mepriser les voluptés corporelles.... Or parce que ceux qui etouffent, ou qui tachent d' etouffer dans leur âme par belle malice la connoissance de Dieu, sont les plus insignes debauchès et les plus determinès pecheurs, qui soyent au Monde, on se persuade, que tous les Athées indifferemment son des scelerats. Ibid.

atque in Athei hypothesi, non modo nulla esset virtus, sed ne societas quidem civilis consistere posit? Quod superest brevissime demonstrandum.

§. VIII.

Stare ne etiam posset Atheorum Societas, seu Respublica?

Quaestioni singulari, curiositatis tantum gratia in Ethica brevissime attingendae, locum dedit celebre Petri Bayle paradoxon. Homo in speciem saltem Pyrrhonicus, et pro utraque parte disputandi studiosus, hanc etiam ingenii caussa proposuit quaestionem, *constituine et stare posset Atheorum respublica?* Quam etiam sibi aliunde contradicens, quae est paradoxorum hominum conditio, pro parte affirmante, potius forsan jocandi, quam serio agendi animo resolvit. Utcumque sit, in re gravissima jocari neque veritatis, neque honestatis patiuntur jura. Duo haec contendit Bayle, Rempublicam, seu civilem Societatem Atheorum esse possibilem? 2. Atheismum Polytheismo esse praeferendum. Adversus impia paradoxa clamavit undique ratio. Illud mirum, fuisse aliquos, qui dum atheisticam Petri Bayle rempublicam acriter confutabant, Sinas, antiquissimum aeque atque cultissimum imperium, a quatuor fere annorum millibus fundatum, et paternis fere legibus constitutum, atheistas dicerent, nationemque in remotissimo Asiae fundo degentem, ex occidentali Europae angulo circa rem summi momenti judicarent, Sinarum aliunde linguae, religionis, morum penitus ignari. (*a*) Primo quidem

---

(*a*) Dñus de Mairan Patri Parenin apud Sinas Missionario scripserat, sua quidem sententia, Sinenses Mandarinos Atheos non esse. Ita vero respondet Pater Parenin

atheistici paradoxi falsitas purum est superioris doctrinae corollarium : ab ipsiusmet auctoris sensu et verbis modo relatis luculenter confirmatum . Summae evidentiae laus est atque triumphus , Pyrrhonicum paradoxi auctorem ad oppositae veritatis confessionem adducere . Sed transmissa etiam adversae partis confessione , quae tamen demonstrationis tessera habenda est ; negata Numinis existentia , omnique propterea naturali lege , et religione sublatis ,

---

homo quidem doctissimus , transactis inter Sinas quadraginta annis , de Sinensium atque Tartarorum lingua , moribus, doctrina , et sensibus peritissimus . *Je suis de votre sentiment , Monsieur , et il m' a toujours paru, que ceux qui ont accusè les lettres Chinois d' atheisme , n' ont eu d' autre raison de l' assurer dans le public , que l' interet de la cause qu' ils avoient entrepris de soutenir ; car la doctrine des* King *Chinois est tout a fait opposée et contraire a cette idée . Ils ont apporté pour preuve des passages de quelques lettrés du temps des* Song , *et entre autres de* Tsou-ven-Kong , *qui favorisoient leur dessein , tandis qu' ils ont mis a quartier les passages du méme auteur , qui prouvent le contraire . Tout ce qu' ils devoient conclure , c' est que cet écrivain est tombé en contradiction avec lui même , et que par consequent il ne doit être cru ni pour ni contre .*

Je vous dirai franchement , Monsieur , que je n' ai point encore vu de Chinois qui fût athée dans la pratique : on en trouve quelque fois qui veulent le paroître dans le dispute , quand on les presse un peu vivement ; mais leur conduite dement bien-tôt leurs paroles , et dans un péril imprévu , dans un renversement de fortune , on voit les uns soupirer vers le Lao-tien-ye (*le Seigneur du ciel*), *et les autres invoquer les esprits et implorer leur assistance . En un mot leur coeur s' accorde mal avec leurs discours . Je puis même ajouter , que le nombre est tres-petit de ceux qui ont voulu paroître athées , et si quelques-uns d' eux ont tâché dans leurs livres d' expliquer tout physiquement, iusq' aux apparences des morts et des esprits , sans avoir recours a un Etre suprême , auteur de toutes choses , ils se plaignent de ce que leurs sentimens , loin d' être suivis , sont abandonnés*

nulla amplius superest vera morum honestas, et morales virtutes ut modo demonstravimus : hisce vero deficientibus totius humanae societatis fundamentis, stare ne possent respublicae sceleratorum hominum? Fundatam in aere civitatem non crederem potius cum Plutarcho, quam stantem sine religione naturali rempublicam ?

2. Ad actiones humanae societati contrarias, eamque evertentes a passionum aculeis perpetuo incitamur . Ad quaenam nos semper non abripiunt ira, odium, amor , libido , avaritia , zelotypia , amor sui inconsultus, milleque alii humanae rationis , et humanitatis tyranni ? Quinam vero violentis hisce atque perennibus fluctibus aggeres , cum praecipue ad maximam humanarum actionum partem, civilium legum provincia non extendatur ? Moralis honestas, timor, spes, futuram vitam respicientes, Theisticae

---

des lettrés . Lettres edificantes, volumine XXI. secundae editionis , pag. 492. De eodem argumento ita scribit Voltaire. *On a reproché en Europe aux Jesuites , qu' on n' aimait pas de flatter les Athées de la Chine . Un Français nommè* Maigrot, *Evêque de Conon, qui ne savait pas un mot de Chinois , fut dèputè par un Pape pour aller juger les procés sur les lieux ; il traita* Confucius *d' Athée , sur ces paroles de ce grand homme*, le ciel m' a donnè la vertu, l' homme ne peut me nuire . *Le plus grand de nos saints n' a jamais debité de maxime plus céleste . Si* Confucius *etait Athée*, Caton , *et le Chancelier de l' Hôpital l' etaient aussi* .

Repetons ici pour faire rougir la calomnie , que les mêmes hommes , qui soutenaient contre Bayle, qu' une Societé d' Athées etait impossible , avançaient en mêne temps , que le plus ancien gouvernement de la Terre etait una Societé d' Athées . Nous ne pouvons trop nous faire honte de nos contradictions .

Repetons encore que les lettrés Chinois , adorateurs d' un seul Dieu , abandonnérent le peuple aux superstitions des Bonzes .

Societatis custodes, atque perpetua passionum fraena, in Atheorum republica desiderarentur. Summa rei est, ad civiles societates stabiliendum, atque conservandum impares sunt humanae leges. Numinis propterea existentis et remuneratoris dogma, atque naturalis religio necessarium sunt omnium Societatum fundamentum. Id vero ex civilium legum, et humanarum passionum indole per se se consequitur. Ad nulla occulta crimina, desideria, odia, machinationes et scelera quaecumque, publicae tranquillitatis, et societatis insidiosam pestem, non extenduntur leges civiles; incitant vero semper humani cordis passiones; Athei conscientia non avertit, neque illa per se turpia aut mala esse existimat. Injurius Lectoris ingenio essem si quae hinc semper immineret Reipublicae labes, ulteriori oratione prosequerer. Omitto etiam aliud insufficientiae legum argumentum, officia omnia imperfecta respiciens. Aliquidne circa hospitalitatis, detractionis, honoris, charitatis, milleque imperfectae obligationis officia statuunt leges? Quantum tamen haec ad civilem societatem aut servandam aut labefactandam non faciunt?

3. Nonnisi iis legibus stare posset respublica, quae et efficaces sint, et omnes actiones statuant, quae societatem evertere possint. Naturalis Lex et religio duplici hoc munere praedita, in atheistica republica desiderantur: in ea tantum locum habent civiles leges, utroque illo charactere destitutae. Lege naturali, non modo omnes hominum actiones morales occultae, publicae, perfectae, aut imperfectae obligationis praescribuntur, aut vetantur: sed cuicumque etiam officii observantiae praemia, transgressioni cuicumque, licet occultissimae, poenas decernit. Contraria plane est legum civilium indoles, et conditio. Nulla ob servatas leges praemia, solae ob earum vio-

latione poenae statuuntur, quae multiplici ratione humanis actibus declinantur: aliaque ex parte infinita sunt scelera societatem latenter subvertentia, quae humanae leges non attingunt, nullaque idcirco poenarum sanctione prohibentur.

Quonam sane pacto suicidium, occulta omnia homicidia, machinationes, et proditiones patriae, amicorum, milleque id genus alia, impediret atheistica respublica? Honestasne, aut turpitudo actionum, praemia aut poenae? At cum ante leges omnia sint indifferentia, cum leges ipsae neque suicidium, neque occulta alia scelera multare possint, aut prohibere; eritne Atheus a se ipso, ab aliorum insidiis, patria vero ab atheisticis civibus secura? A praesenti societatum statu, et hominum indole ad atheisticae reipublicae statum argumentamur. Nulla est, aut fuit unquam ulla hominum Societas, quae Deum, naturalem religionem, et legem non profiteretur; atque idcirco, praeter humanas leges, Deum etiam vindicatorem, et justum, poenas, et praemia, virtutumque honestatem, naturale scilicet et utile humanarum societatum et actionum fundamentum, animo profunde insculpta non teneret. Quoties tamen perennia haec passionum humanarum moderamina et fraena, a turpi quacumque actione, verbo, et cogitatione retrahentia, inutiles sunt passionum aggeres: humanae tot nationum societates firmis adeo fundamentis innixae, adversus civilium legum repagula nutant, nutaruntque semper; millies-que solutae, in alias pari fato solvendas transformantur? Nihil frequentius in plurimarum nationum annalibus occurrit, quam politica haec humanarum passionum ludibria et triumphus. Si hominum e Societatum, Deum vindicatorem et justum profitentium, qui religionem, et legem naturalem tenent praemiorum poenarumque aeternitate ducuntur, na-

turalem actionum honestatem, et virtutem profitentur, colunt, amant, vitiaque opposita detestantur: si hujusmodi, inquam, hominum et Societatum instabilis adeo est conditio; quid si haec omnia desint fundamenta? Si naturalis honestas, et virtus, si justitia, fides, sinceritas, conscientia, religio, praemia, poenae, si vita futura, et Deus ipse nonnisi vana credantur nomina?

Haec omnia tandem confirmat ipsemet paradoxi auctor, qui defervescente disputationis ardore, eum Atheis omnibus tribuit characterem, et scelera, quibuscum nulla stare posset civilis humana Societas. Expressa hominis verba superius in nota transcripsimus.

Possunt tamen Athei, inquit Bayle (*a*), ideas boni, et mali moralis comparare, et semper habere, et haec duo rite discernere, perinde ut Diistae principia morum et metaphysicae distinguunt, atque tenent: cur igitur non poterunt secundum illas leges vivere, et civilem Societatem constituere? In Athei hypothesi, respondeo, una haberi potest idea boni et mali politici, ut ita dicam, seu potius utilis, hoc est a legibus Societatis derivans, et publicas tantum actiones afficiens lege ipsa statutas. Omnia enim per se se indifferentia esse ponit Atheus; citra legem nulla obligatio, nullum officium, nulla transgressio, nulla actio moraliter bona aut mala: quae autem lex sine legislatore? Superiorem prius statuat, et fateatur Atheus, ut de bono tandem et malo morali, atque honestate actionum aliquid praeter inania verba proferat. Quod si Atheo familiaris adhuc est de morali actionum honestate, aut turpitudine naturali idea, et sermo; id argu-

---

(*a*) Bayle Pensées diverses Chap. 78. Continuation. Chap. 143.

mento est, nullum esse Atheum ita absolutum, ut ejus mentem, et animum identidem non pulset tacita rationis vox oppositam atheismo suadens doctrinam. Etsi praeterea citra Dei Legislatoris notitiam haberi posset actionis per se bonae, aut malae idea, et discretio; quid sterilis idea rudem, indocilemque multitudinem juvaret, ut contra repullulantes semper passiones, sine metu, sine spe, et religione, propriae utilitati in aliorum gratiam renuntiet? Ad multitudinem coercendum satis saepissime non sunt Deus vindicator, Providentia, praemia, poenae, caeteraque omnia religionis naturalis, et theismi dogmata: quid illis sublatis? Rudisne populus materialium rerum vortice, et passionum tumultu semper abreptus, et circumactus ad subtilem, et metaphysicam ideam satis attenderet, ut secundum illam se se, vitaeque rationem componeret?

Esto, inquit Bayle, Atheismus ad societatum solutionem per se se ducit, si in pura idearum theoria et connexione sistamus. Aliud tamen suadet agendi, vivendique ratio hominibus communis. Quid est in mundo magis solemne, quam homines alio modo vivere, alio cogitare, neque secundum proprias opiniones, atque principia agere? Ita saepe accidit, respondeo, cum hominum opiniones, vel sententiae, et agendi principia passionibus opponuntur, ut theismi et religionis naturalis cultoribus accidit: qui tamen fieri id posset in Atheistarum hypothesi, in qua opiniones una cum passionibus in idem objectum conspirant; nihilque est, quod ab opinionis systemate, et naturae incitamentis retrahere possit voluntatem? Aliquorum tamen Atheorum honestas, prosequitur Bayle, et morales virtutes celebrantur: quis praeterea ignorat sylvestres aliquos populos, per immensas Americae sylvas degentes, naturalis religionis expertes, omnique Dei idea destitutos? Duo haec,

respondeo, quaestionem non tangunt. De civili Societate agitur politicis, civilibusque legibus constituta. Hoc animadvertisse satis. Decantatam illam unius, aut alterius Athei honestatem in naturalem temperamenti suavitatem, et cordis humanitatem, inque studiosam honestatis hypocrisim resolvi, superius demonstravimus. Quod citatos populos attinet, neque Atheos esse, citra eorum, et historicae veritatis injuriam dici potest; neque politica civilisque societatis proprie dicta, in familiis aliquot sine sede, sine lege errantibus, admitti potest.

Sicut in quacumque hypothesi, prosequitur Bayle, non ex arbitrariis hominum opinionibus, sed ex ipsamet rerum natura distinguuntur inter se ignis, et aqua, amor et odium, affirmatio, aut negatio, ita etiam mendacium et veritas, gratus vel ingratus animus: eamque distinctionem animadvertimus, harum rerum proprietates inter se conferendo. Mendacium igitur et veritatem, hoc est vitium et virtutem natura ipsa differre, agnoscerent etiam Athei. Ita quidem, respondeo: voluntatis actus, atque objecta inter se distinguerent; nullam tamen iis tribuere possent moralitatem, veramque honestatis aut turpitudinis rationem. Quae enim moralitas in rebus natura sua indifferentibus? Quae honestas, virtus, meritum, si nullum est officium, nulla lex, aut legislator: nosque, et nostra omnia, in chaos iterum solvimur?

At perinde, ut intellectui, ita et voluntati, pergit, quaedam insunt constantes, et invariabiles regulae, atque principia, a quibus ipsa declinare non potest. Quadam naturae ipsius necessitate haec principia generalia et regulas approbamus, atque ad earum observantiam tenemur: *velle oportet, quod est rectae rationi conforme: rationabiliter semper agendum: prudenti rationis dictamini semper stan-*

dum est. Hae quidem, et similes aliae actionum regulae dici non possunt arbitrariae: ex ipso naturae fundo profluunt, et quamdam voluntati legem necessariam imponunt, atque officia. Staret igitur Atheistica Respublica hujusmodi principiis innixa. Respondeo: datae regulae in Theistarum principiis verissimae, in Atheistarum hypothesi nullum habent certum sensum. Lege naturali atque intrinseca actionum honestate aut turpitudine admissis, quid sit recta ratio, quid haec de mendacio et veritate de patriae proditione, aut conservatione dictet, intelligimus. Nihil in hac rerum theoria occurrit arbitrarium. Secundum aeterni Legislatoris voluntatem, et intrinsecam rerum cum aeterna voluntate conveniendum, agendum. En rectae rationis dictamina, et fundamentum, secundum quae voluntatem agere rationabile existit.

Quis vero est in Athei hypothesi rectae rationis sensus, fundamentum, dictamina? Nullus legislator, neque lex naturalis: omnia sunt indifferentia, nihil per se moraliter bonum, aut moraliter malum. Cum igitur nulla sit naturalis honestas, aut turpitudo moralis rerum aut actionum, rectae rationis fundamentum et objecta esse nequeunt. Propria solum utilitas unum erit rectae rationis dictatum, et regula. In hoc dilemmatis discrimine statuatur Atheus: aut integra civitas tuae fortunae damno ab internecione salvanda, aut res tua servanda omnium civium internecione. Juxta Athei doctrinam utraque pars est in sensu morali indifferens: hac igitur constitutione, et hypothesi privatae potius fortunae, quam integrae civitatis saluti consulere, recta ratio Atheo existimabitur.

Demus tamen parumper, eandem Atheo, atque Theistae esse rectam rationem. Eadem in utroque rationis dictamina, et materialia objecta. Haec tamen sem-

per intercedit maximum discrimen, unde res tota pendet. Recta ratio Theistae imponit veram obligationem moralem : ad illius dictamina audiendum, et religiose observandum, ex aeterni Legislatoris voluntate, ex lege naturali, ex naturali honestate morali, ob certa praemia, et poenas in praesenti, futuraque vita assequenda, aut luendas tenetur, et ducitur. Haec omnia in Athei hypothesi desiderantur: omnia illi arbitraria sunt, atque indifferentia : nulla moralis obligatio : ad agendum secundum rectam rationem non tenetur Atheus. Quid enim Atheistam obligat? Superiorne Legislator, et lex naturalis, quae non admittit? Justane ratio? Sua, an communis? Ratio communis est pura idea in illius hypothesi; non vero legislator veram obligationem moralem imponens. Sua vero Athei ratio eum obligaret? At nemo cum se ipso contrahit, se ipsum obligat: omnis obligatio est a Superiori : non est obligatio, neque moralis honestas sine lege, neque lex ulla sine legislatore superiore ; Legislator non est caeca aliqua necessitas, et creaturarum ordo.

Athei, inquit tandem Bayle, possunt 1. quidem esse temperamentum honesti. Passim enim homines offendimus ex peculiari indole unam potius, quam aliam virtutem colere, a vitiis retrahi, vitae honestatem amare. 2. Quid Epicuri, quid Sadducaeorum honestati opponemus? Hi tamen postremi in Hebraeorum Societate primas tenebant dignitates, et imperii fere regebant clavum. 3. Quid naturali hominum vanitati, et ambitioni magis conforme, quam nominis gloriam, et publicam existimationem ex morum honestate, et specioso virtutum ornamento quaerere et scrupolose conservare? Sin minus ex vera virtute, ex naturali sane vanitate, et honorum fame, bonum publicum proprio praeferet Atheista, depositum etiam occultum restituere, pauperi

auxilium ferre, humaniter omnes tractare, mille-que alias justitiae, aequitatis, et humanitatis actiones, vulgo inter homines virtutum nomine donatas, sancta sibi statuet, non religionis, et honestatis moralis, sed vanitatis officia. Quid quod ex eodem principio occulta etiam consilia dirigentur, atque actiones? Colet Atheista, alioquin vanissimus, inter domesticos etiam parietes honestatem: de se ipso cautus, et timens; ne, quod hominibus saepe accidit, inter somnia aut febris deliria se ipsum tandem prodat, et secretum animi fundum patefaciat somni, aut vini periculosa sinceritas.

Pudet fere, respondeo, quisquiliis referendis tempus male collocare. Quid Epicuro, privato scilicet Philosopho sciendi studiosissimo, et inter libros fere sepulto, cum civili hominum Societate commune? Homines aliquando reperiri temperamento et indole suaves, tranquillaeque vitae amantissimos nullus ignorat. Sed quid haec ad veram virtutem in homine praesertim Atheo? Quid haec ad rudem multitudinem regendum, atque ut par est, coercendum? Eademne in rudi plebe, civilem societatem potissimum componente, sine Numine, lege, religione, spe, metu, honestate, fingi potest indoles, et naturalis character? Sadducaei, Josephi, Eusebii, aliorumque ejus temporis Scriptorum testimonio, impii, crudeles, omnique proinde vera virtute destituti, praemia a Deo in hac vita propter virtutem dari, poenas ob vitia infligi, tenebant. Quid igitur a Sadducaeis ad Atheistarum rempublicam argumentari? Quin imo, si per Sadducaeos staret, si reipublicae clavus penes ipsos esset, nisi Scribarum, Pharisaeorum, Esenorum sectae, et integra fere Hebraeorum natio, Israelitis hisce Epicureis insuperabili non essent ob-

staculo, civilis Judaeorum Societas in civile chaos tota dissolveretur.

Quod caeterea attinet in argumento adducta, ab auctore quaerendum esset, somniorum, febrilis delirii, aut vini sinceritas hominesne a sceleribus quibuscumque privatim et publice patrandis remorantur? Minus ne in Theistarum naturalis religionis cultorum, quam in Atheorum animos possent nominis gloria, publica existimatio? A Theistis, religionis piis, honestatis amatoribus ad Atheistas irreligiosos, impios, naturalis honestatis contemptores argumentare. Sed in iis ulterius immorari pudet.

Peculiare hoc esse videtur gloriae paradoxon, hominem fugere illius unice studiosum: ab iisque tantummodo comparari, qui ipsomet virtutum exercitio, actionumque splendore, sui quidem semper memores, in virtutem ipsam, bonumque publicum recta collineant. Alio modo agere, nominisque famam unice respicere, id vero vitiosae ambitionis argumentum, atque vanae gloriae character.

Fuerunt tamen, inquit Bayle, Polytheistarum respublicae: quidni igitur esse possunt Atheistarum? Ad hoc igitur alterum hominis paradoxon, et errorem naturali religioni contrarium examinandum descendamus, idearum connexione ducti.

§. IX.

Quid de Polytheistarum Societate? Estne Atheismus Polytheismo praeferendus?

Ad civilem Atheorum societatem suadendam argumentum a Polytheismo desumit Petrus Bayle: cujus opinione stabilitati Reipublicae magis opponitur plurium, quam nullius Numinis dogma. Duo haec errorum monstra vel in se se spectari possunt, vel ad societatem referri. Utriusque falsitate in prio-

ri sensu accepti, luculentis demonstrationibus in Metaphysicis confecta, atque idcirco impraesentiarum transmissa; quod posteriorem attinet sensum, dico contra alterum auctoris paradoxum: Atheismum civili Societati longe magis opponi, quam Polytheismus. Postremus hic error reipublicae noxius, prior tamen eamdem penitus evertit. Propositionis demonstratio per se se est obvia. Atheismi dogmate omnia Societatum fundamenta moralia tolluntur: Deus vindicator, lex naturalis, religio, moralis actionum quarumcumque liberarum honestas, animae immortalitas, praemia, et poenae, efficacissima, atque necessaria ad multitudinem coercendam repagula. Contra vero Polytheismi hypothesis, etsi impossibilis, et rationi omnino contraria, ab Atheismo quoad haec omnia differt. Facto etiam, atque experimento eadem constat veritas. Nationes fuerunt, quae Polytheismum professae, civilis societatis vinculo unitae, per plura saecula stabile constituerunt imperium.

Polytheistas intelligo, quicumque duo aut plura aeterna principia bonum, et malum, aut utrumque etiam bonum tenent, et religioso cultu adorant. Manichaeos igitur, veteres Persas, et nonnullas alias cum veteres, tum recentes, ut dicitur, nationes eo errore et religione infectos merito dicas. In primis vero orientales Brachmanes, pluresque Indorum nationes, tria illa ut dicunt Numina *Brhamà*; *Visnù et Rutren* religiose colentes. Summa igitur totius rei est, etsi Polytheismus sit maxime absurdus, Polytheistarum tamen respublica, cum facto, tum etiam theoreticis Societatis fundamentis demonstratur possibilis: contra Atheismum vero faciunt, summa erroris absurditas, omnia Societatis fundamenta convulsa, atque omnium temporum, et nationum historia. De Polytheismo igitur tria haec

apud te statue evidenti ratione demonstrata. 1. Æque esse absurdam plurium, atque nullius Dei hypothesim: id quod fuit in Metaphysica demonstratum. 2. Polytheismum religionis naturalis puritati oppositum esse. 3. Cum civili tamen Societate utcumque posse componi.

Polytheismus, externo imaginum cultu accedente, est vera Idololatria, vitium alterum et dogma vero naturalis religionis cultui, et doctrinae oppositum. Hucusque dictis de Polytheismo, pauca addenda sunt, quantum Ethicae fines patiuntur. Primo, barbaras nationes quod attinet, quantumvis earum mentes in dies magis semper sylvescerent, cujusdam primi Principii obscura saltem servata est cognitio. Si unus aut alter populus in America repertus est hujusmodi idea plane destitutus, mirum est, eousque humanam mentem brutescere, *ut astrorum caelique gloriam Dei enarrantium* non intelligat vocem. Diuturnior, crediderim, ejusdem populi experientia, et penitior ejusdem morum et linguae cognitio obliteratam fere ideam deprehenderet. Si tamen hujusmodi populus existit, Polytheistis proculdubio non est annumerandus, sed potius inter humana monstra recensendus. Cultas nationes quod attinet, quales fuerunt Romani, Graeci, Ægyptii, antiquissimo Sinensi imperio excepto, Mandarinorum enim religione, et in tota Sinensi antiquitate, unus *Tien*, seu aeternum principium agnoscitur, caeterae omnes ab Indis usque ad Herculis columnas Polytheismo adhaeserunt.

Polytheismi falsitate in metaphysicis demonstrata, et confecta impraesentiarum illius oppositione cum vera religione naturali, Polytheistarum vero existentia modo supposita, inferius confirmanda, quaerendi locus hic esset, unde Polytheismi idea in hominum mentem venire et induci potuit. Quaenam est

Polytheismi origo? Eadem vero est quaestio de Polytheismi, atque de idololatriae origine, de qua inferius agendum. Transmisso modo Manichaeorum errore, de duobus principiis aeternis, Bono et Malo, ex bonorum et malorum ideis et existentia deducto, generalem polytheismi originem ita concipio. Hominibus, post Adamum, et Noemum ad terrena tantum et carnalia desideria fere distractis, passionum furore et vortice agitatis, et magis semper brutescentibus, vera unius creatoris Dei, atque mundanae creationis idea paulatim evanescente atque obliterata, nihilominus mundana machina et spectaculum ob oculos semper positum et praesens, perenniter circumvolutum, miraque motuum varietate et vicissitudine, hebetes etiam mentes et animos ad tantae molis contemplationem per otium alliciens atque adducens, hasce ideas in eorum mentibus facile ingeneravit. Toti huic immensae machinae vim aliquam esse infusam, et per omnes illius partes diffusam. Ubique enim motus, ubi autem motus, ibi etiam motor, vis movens, spiritus. En communissimum illud antiquorum opinamentum, Deum, aeterni mundi aeternum conditorem, esse animam mundi, atque ab aeterno illo spiritu, plures alios peculiares spiritus emanasse peculiaribus corporibus movendis destinatos: alium idcirco in Sole, in Luna, et reliquis astris alios inesse motores spiritus, ab hominibus religioso cultu adorandos, ob pecularia beneficia ab astris in nos derivantia, atque motoribus spiritibus referenda. Hinc originem duxit antiquissima Chaldaeorum religio, Sabaeismi nomine nuncupata. Hinc etiam Magismus, seu Magorum in antiqua Perside doctrina, cum Sabaeismo in quamplurimis conveniens. Hoc inter eos dissidium, quod alii templa ad adorandum construerent, alii aperto coelo astrorum spiritus adorarent. Arbitraria imagi-

num formatio eosdem astrorum spiritus referentium facile consequi inde debebat. Inter antiquos Ægyptios, Chaldaeis coevos, eandem doctrinam, mutatis nominibus deprehendimus. Cum Ægyptiorum coloniis habitata fuisset et culta Graecia, Graecorum vero antiqua Italia, ab extrema Perside ad Italiam usque et ultra diffusus est Polytheismus. Sed quo tandem me deferret critica haec digressio, tot eruditorum vigiliis discussa?

§. X.

De Idololatria; ubi de vera religiosa adoratione, tum naturali, tum revelata, seu Christiana.

De Idololatria acturo, statuendum primo, aut in memoriam revocandum, quid sit et quotuplex adoratio, 2. Quid sit idololatria, quid, et quali adorationis specie, adoraverint Gentes; quid in idolis religioso cultu honorabant. 3. Quid rei sit, et quantum ab idololatria differat adoratio tum philosophica, tum revelata Mosaica, aut Christiana.

Adoratio ex nomine ipso atque usu apud Orientales est = manus ad os adductae et reductae osculum in honoris et cultus religiosi aut civilis significationem =. Id primo constat ex illustri testimonio Job. cap. 31. versu, 26. 27. et 28. *Si vidi solem cum fulgeret, et Lunam incedentem clare: et laetatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Secundo ex Libro tertio Regum, cap. 19. v. 18., ubi per Prophetam de Israelitis dicit Dominus: *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum*

osculans manus. In eundem sensum loquitur Pharao regni administrationem Josepho committens. Abraham urbis Hebron populum civili hoc cultu adoravit. Genes. cap. 23. v. 7. *Surrexit Abraham, et adoravit populum terrae, filios videlicet Heth.* Et v. 12. *Adoravit Abraham coram populo terrae.* Sunamitis etiam, ejus filio per Elisaeum in vitam revocato, Prophetam adoravit, religiosa tamen veneratione. Regum Lib. IV. cap. 4. v. 37. *Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram.* Hunc praeterea adorationis ritum Orientalibus Gentibus communem esse affirmat D. Hieronymus; tot annos in iis regionibus vitam agens. Quin imo Minutius Felix de Caecilio narrat, quod pertransiens ante Serapidis statuam, osculo manus illam adoravit. Hebraei tandem arcam Testamenti, templum Salomonis, sanctam civitatem Sion religioso cultu venerabantur.

Sequentia ex iis deducenda sunt, statim dicendis necessaria. 1. Adoratio, suprema quidem cultus species, alia est religiosa, civilis alia. De religiosa loquitur Job, et Liber tertius Regum. Eadem etiam Elisaeum honoravit Sunamitis; Hebraei vero arcam, templum, et Sion. Civilem vero intelligebat Abraham, et Pharao. 2. Adoratio, ut ceteri omnes cultus, alia est absoluta, alia vero relativa. De absoluta adoratione Solis, Lunae, et reliquorum astrorum, Baal, et Idolorum loquitur Job, et Liber tertius Regum. Relativa vero agebat Sunamitis, et Hebraei erga templum et arcam: neque enim honorabant ligna, lapides, aurum et argentum templi, sed in iis adorabant Deum. Civile cultu absoluto Hebronitas adoravit Abraham. Relativum vero Josepho praestabant Ægyptii. 3. Licet eadem voce in Hebraica lingua significetur adoratio, relativa illa sit, vel absoluta; Hebraei divina lege unum Deum ado-

rare jussi, quin in legem committerent, arcam et templum venerabantur, sicut Elisaeum innocue etiam adoravit Sunamitis: propterea quod lex erat divina et naturalis (qua omnes universim homines tenemur), solum Deum suprema absoluta adoratione esse adorandum: adorationem autem relativam, suprema absolute infinite inferiorem, et ad Deum relatam, propter Deum praestitam, et ad Dei honorem directam lege non comprehendi. Neque adorando Elisaeum, templum et arcam venerando peccabatur: erant autem hujusmodi cultus proculdubio religiosi, et relativi. Haec omnia in lege naturali, potissimum vero in revelata Christiana locum habent. Hisce expositis, ad argumentum.

De Idololatria, nomine quidem in nostris Christianorum Libris, veterum recentiorumque nationum revelatam religionem non profitentium mores et ritus referentibus, admodum familiari, multa quaeri, statuique possunt a nostro argumento nequaquam aliena. 1. Quid rei est *Idololatria*? Quotuplex hujus nominis sensus et objectum? 2. Quonam sensu, aut idololatriae specie idololatrae erant antiquae nationes, Romani, v. g., Graeci, Aegyptii? Idololatrae ne etiam erant Persae, et Orientales ceteri? 3. Unde est idololatriae cum religione naturali aut revelata oppositio? Ut multa alia praetereamcapita ad criticam potius eruditionem, quam ad moralem Philosophiam spectantia. Quod primam quaestionem attinet idololatria est = adoratio imaginum absoluta, quasi aliquid divini in iis inesset, aut quasi divinitas cum iis existeret, atque adorari vellet =. Absoluta inquam: relativa enim etiam adoratione, modo explicata, adorari possunt idola, seu creaturae aliae Divinitatis symbola; qua non idola, sed idolorum prototypi et repraesentata adorantur. Quali igitur ex duobus hisce modis, et religiosi cultus

speciebus, idola adorabant Romani, Graeci, Phoenicii; Solem, Lunam, astra cetera Persae, Chaldaei, aliaeque finitimae nationes; album taurum, caepe, allia Ægyptii? Solem ne adorabant Persae, an potius Deum, cujus sedem, thronum, aut imaginem existimabant esse solem? Albumne etiam taurum, tanquam Deum, seu divina aliqua virtute praeditum, religiose colebant Ægyptii; an potius Dei beneficentiae cultum votaque referebant, quod eorum animalium, vel plantarum abundantiam Ægyptiis elargiretur, in qua illius regionis fertilitas, populique opes et alimenta consisterent? Certa primo statuamus, ut ex iis reliqua solvantur.

1. In Scriptura Sacra millies vetantur Hebraei, statuas in templo et Synagogis collocare et colere, aliarum gentium Deos adorare, Ægyptiorum religionem et ritus amplecti. 2. Nihil est in Christianae religionis Libris magis celebre, quam Christianorum ab idolorum cultu et adoratione aversio. Tot Ethnicorum in Christianos persecutiones; innumeraeque horum mortes et tormenta; quibus in verae religionis honorem et testimonium perpessis, gloriosum Martyrum nomen adepti sunt atque coronam. 3. Cum religio naturalis, officia et cultus ab illa praescripti, rectae rationi, legique naturali sint conformes; neque a Deo in Scriptura Sacra vetari possunt, neque a Christianis ad martyrii palmam obtinendum religiose violari. Scriptura vero Sacra, hoc est Dei ipsius testimonio nos decipi; universam Christianorum Societatem ex omnibus nationibus coalescentem; tot millia hominum doctrina, virtutibus et miraculis splendentium, illustremque seriem per quatuor integra saecula, imo et ad nos usque ductam componentium, fanatismo agi, Ethnicorum, quibuscum vivebant, et quorum pars magna fuerant, religionem et cultum ignorasse, a religione natural

male distinxisse, potiusque idcirco inconsulto zelo et consilio existimasse se se morti devovere, quam thura Diis offerre, genuque ante idola flectere: haec, inquam, vel levissime suspicari absolutissimae esset impietatis, imprudentiae, et ignorantiae argumentum. 4. Aliquid igitur erat in Ægyptiorum, aliarumque veterum nationum religioso cultu, idolis, animalibus, astrisve praestito; aliquid in idololatrae Romae religione, Deorumque et idolorum adoratione a vera religione, pietate, et veritate alienum.

Quid istud rei erat, a quo vera religio, tum Mosaica, tum Christiana, imo et naturalis tantopere abhorret? Nationes primum distinguere oportet: Romanos et Graecos a Persis: Persas ab Ægyptiis: Ægyptios ab Indis. De Singulis pauca; ne in vastissimam eruditionis sylvam ingressi, in tenebrosis Sanchoniatonis, Berosi, Manethonis, imo et Herodoti et Diodori Siculi historiis per medias umbras excurramus incerti. In nationibus etiam docti a plebe distinguendi. Probabile enim est, in idolorum, astrorum, animalium, plantarumque cultu alium saepe fuisse rudioris plebis, alium doctorum sensum: imo doctos a doctis saepe dissensisse. Ita fert omnium civilium Societatum conditio. Nulla est inter Christianos culta adeo natio, in qua, circa sacrum religionis cultum rude vulgus superstitionis saepe sensum non teneat, a rei veritate, et doctorum ideis alienum. Quicumque tamen fuerit ex praedictis sensibus illorum gentium opinio; certum primo est, idolorum cultum imperitam plebem, hoc est, integram fere nationem in mille religionis errores induxisse. In quae enim absurda ex tot Deorum cultu non deduceretur devota ignorantia? 2. Falsa Numina religiosae venerationis objectum esse. 3. Falsum igitur inanemque fore opus erat religiosum idolorum cultum; quem neque humana ratio naturalis proba-

re potest, neque ulla Numinis revelatio confirmat. Quid igitur mirum si Hebraeis Lege divina praescriptum erat, Gentium idola non adorare, in illarum religionem non concedere; si Christiani Ethnicorum sacra detestabantur, potiusque mortem in fidei martyrium subire amabant, quam supra idolorum aras incensum ponere? Citra revelationem etiam, rationis tantum ductu idem pariter agere debuissent homines quicumque solius naturalis religionis cultores. Æque enim a revelatione, atque a ratione abhorrent, quae popularis idolorum cultus supponit, docet, atque inducit. Si qualemcumque illum idolorum, animantium, astrorumque cultum reprobat humana ratio, possetne per revelatam religionem permitti? Sarta igitur tecta per nos est, cum nostra Christianorum circa idolorum cultum sententia, tum Hebraicae Legis aequitas et necessitas. Summa rei est, falsa et absurda Numina adorare, vitiosos homines quadam apotheosi colere, religionem objecto et cultu falsam, et moribus periculosam tenere; haec, inquam, tria, ratione, fide, revelatione proscribenda erant.

Increduli et plurimi Protestantes Theologi, Ethnicis potius, quam Christianis martyribus amici, Ethnicorum invidiam in Christianos refundunt. Romani, et Graeci, inquiunt, non statuas, idola Deorum absoluto cultu adorabant. Adoratio illa in Deos ipsos, et in Diis ad supremum Numen referebatur. Persae et Chaldaei, inquit *Hide* (*a*), et *Beausobre* (*b*), et Magi universim a Zoroastro edocti, solem tamquam Dei sedem, relativo tantum cultu venerabantur, neque naturali, neque revelatae religioni contrario. Imprudenter idcirco agebant Christiani,

(*a*) De veterum Persarum religione. (*b*) Histoire des Manicheens.

mortem potius, quam solis aut idolorum cultum eligentes. Dum *Hide et Beausobre* ab occidentalibus regionibus post quatuordecim fere saecula, ducenta et viginti Persarum Christianorum millia sub Rege Sapore, et ejus successore mortem pro fide passos ad modernae occidentalis criticae forum vocant, et de religionis ignorantia condemnant, *risum teneatis amici?* Opus enimvero erat, ut ad ducenta illa martyrum millia natione Persas gentiles mores, leges, linguam, consuetudines, Magorum religionem a cunis edoctos, ab eaque ad Christianam conversos; opus, inquam, erat, ut ad eorum tempora, saeculum scilicet quartum, et ad patriam Persidem ex seculo XVIII. ex Berolino, et Anglia transferrentur Beausobre et Hide, ut Persas de Magorum doctrina erudirent. Sed praedicti Scriptores non antiquos martyres docere, sed ab ipsis potius doceri debuissent, non modo absolutum, sed relativum etiam cultum, idolorum religioni, tum naturali tum revelatae opponi.

Dico igitur; Ethnici idolorum cultores falsos eorum Deos in ipsis statuis absoluto cultu adorabant. Rem ad evidentiam demonstrat ipsorummet Ethnicorum confessio. Porphyrius, nulli eorum secundus. Deos in eorum statuis, tamquam in locis sacris habitare dicit apud Eusebium (*a*), et S. Augustinum (*b*); eamdemque doctrinam de Hermete, apud Ægyptios celeberrimo, iidem auctores affirmant. Jamblichus, philosophus etiam Ethnicus, idolorum cultor, libro a se edito, data opera probare contendebat, Deorum statuas esse divinas, et divinitate plenas existere. Rem legimus apud Photium, Ethnicorum doctrinae peritissimum (*c*). Proclus vero ex-

---

(*a*) Praepar Evang. L. 5. cap. 3. (*b*) De Civ. Dei L. 8. cap. 23. (*c*) Photius, Codice 216.

pressis verbis fatetur, statuas, earum consecrationis ratione ad se se spiritus (Deos scilicet) attrahere; Libro de Sacrif. et Magia. Erratis, dicebat Ethnicus quidam apud Arnobium Christianos alloquens; nos statuarum materiam, lapides, ligna, aurum, argentum, Deos esse non credimus; sed Deos in statuis adoramus, propterea quod Dii in statuis ipsis, post earum consecrationem, tamquam in locis sacris habitant (*a*). Maximus Philosophus Ethnicus Divo Augustino scribens, publicum urbis nostrae forum, ajebat, statuis ornatum, divinitatibus plenum est, quarum patrocinio et beneficiis fruimur (*b*). M. Tullius Cicero in Verrem vehementer arrogens, in Sicilia Deos jam non esse dicebat, propterea quod Verres Siculorum templa statuis spoliasset. Statuis, scilicet sublatis, sacra Deorum habitacula desiderabantur (*c*). Stilponem ab Atheniensibus in exilium fuisse missum propterea quod in Phidiae Minerva Deum non existere dicebat, narrat Diogenes Laertius (*d*). Chaldaeorum etiam sententia, Deos in illorum statuis inesse, oblatasque hostias manducare, et bibere, demonstrat relata a Daniele historia (*e*). Quid plura? Si haec propositionem non demonstrant, quid in hujusmodi argumentis demonstrationis nomine donabitur?

Sed quaenam statuenda sunt de Solis, aliorumque astrorum adoratione, quae erat Magorum, Zoroastri, pluriumque Orientalium religio? Persarum seu Magorum religio, antiquissima et prima forsan post diluvium falsa religio, diversa erat idololatriae species. Alius cultus, alia Numina, alii mores apud Veteres illos Orientales, atque apud Graecos, Ro-

---

(*a*) Lib. 6. num. 27. (*b*) Epistola 16. (*c*) Oratione 4. in Verrem. (*d*) Laertius, in ejus vita. (*e*) Daniel. cap. 4.

manosque, plurimasque alias nationes. Sol imprimis, et Luna, cetera astra, et ignis, imo et alia elementa; en illarum Gentium Deos. Qualis tamen cultus? Quid in Sole adorabant Magi? Solemne ipsum, an in sole et igne supremum Numen? Non melius res dignosci, poterat, quam ex ipsismet scriptis et Libro Zoroastri, religionis Magorum instauratoris inter Medos, Persas, Chaldaeos, &c. Rem tentavit *Hide* doctus Anglus (*a*), Zoroastri potius laudator, quam ejus doctrinae criticus censor: ex quo aliqua deprompsi in historiae philosophicae Compendio tradita, et cum mica salis temperanda. Nondum enim tum temporis evulgatus erat in Europa Zoroastri Liber. Ad veritatem magis accedit Prideaux (*b*), in Zoroastro verum impostorem, vafrum, et crudelem demonstrans. Sed litem tandem aliquando diremit *Arqueil* Regiae Academiae Inscriptionum Socius. In Indiam eo consilio solvit, ut ipsummet Zoroastri opus apud *Guebres*, remotissimos veterum Persarum nepotes, et Zoroastri sectarios, a plurimis saeculis inibi terrarum viventes, inveniret. Indiam appulsus, linguam Persicam antiquam, aut jam doctus, aut apud *Guebres* edocendus, quaesitum opus inter illas gentes reperit, Zoroastri aetate scriptum. Comparatum in Europam secum adduxit, in Gallicum sermonem vertit, typisque hac inscriptione edidit *Zend-Avesta*.

Tum vero tandem patuit quid rei Magorum et Zoroastri doctrina, cultus, religio. Rei summa paucis indicanda, quantum ad praesens argumentum attinet, ad sequentia capita reducitur. 1. *Zend-Avesta* genuinum esse Zoroastri opus, aut illius aetate scriptum, et propriam illius doctrinam continere, demonstravit *Arqueil*. 2. *Zoroaster* Mahometi veluti

(*a*) De relig. veterum Persarum. (*b*) Histoire des Juifs.

praecursor, et in quamplurimis capitibus similis, aeque falsus Propheta, atque miraculorum patrator, falsis prodigiis, tyrannide, armis suam religionem propagavit in Media, Assyria, Perside et India, quae mille et amplius annos eas gentes infecit, Mahometismo tandem locum factura. 3. Sana aliquot religionis dogmata a Zoroastro, tradita Mosaicam doctrinam sapiunt. Hebraeis per id temporis in Media, Zoroastri patria, Assyria, Babylonica captivitate detentis, facile erat homini ab iis hospitibus plurima doceri, probare, et tradere. 4. *Dualismum*, seu duo aeterna principia, Bonum et Malum, statuunt Magi, et Zoroaster: primum *Ormond*, secundum *Arismand* nomine vocatum. Utrum autem aeterna haec duo principia per se se sint aeterna, an ex aeterno alio principio, *Tempus sine limite* nuncupato, per aeternam emanationem producantur, ex Zoroastri Libro non liquet. Id tamen constat, quod *Tempori sine limite*, si forsan a Magis admittitur, nulla est cura, aut providentia circa creaturas universim omnes. Rerum omnium complexio duplicis aeterni principii *Ormond* et *Arismand* effectus existunt: nulusque idcirco cultus ad *Tempus sine limite* refertur. 5. Duo illa aeterna principia innumeros alios crearunt spiritus, qui in mundanis corporibus locati, ea dirigunt: ab iisque bona omnia et mala in nos derivantur. Sol igitur imprimis, Luna, caeteraque Astra, Ignis, elementa alia, et corpora universim omnia, peculiaribus quaeque spiritibus animantur. Sed cum Sol, Luna, Sidera, Ignis, Elementa caetera efficacius in nos agant, spiritibus ea corpora animantibus Magorum cultus referebatur. 6. Solem igitur, Lunam, et Ignem absoluto cultu adorabant imprimis Zoroaster et Magi. Quod si cultus Solis et Ignis ad aliud principium referretur, in Ormond, et Arismand tantummodo sisteret.

Hinc igitur patent sequentia ad rem nostram faci-
entia. 1. Magos non esse idololatras in propria
hujus nominis significatione, cum idola seu imagi-
nes Deorum non haberent. Plurimis tamen capiti-
bus falsam esse eorum religionem, mille contradi-
ctionibus implicatam. Spiritus corporum rectores, ea
animantes; duo Principia aeterna Bonum et Malum;
Tempus sine limite absque providentia; absurdae per
se existunt contradictionum scaturigines. 2. Religioni
naturali, et revelatae evidenter tum idololatriam,
tum Zoroastri et Magorum religionem opponi. Pri-
ma quod polytheismum statuat, falsaque Numina
absoluto cultu in imaginibus adoret. Secunda, quod
primum principium aeternum sine providentia, duoque
alia aeterna principia Bonum et Malum admittat, cultu-
que absoluto adoret creaturas. Cum ex adverso Re-
ligio naturalis et revelata, unum Deum aeternum
absoluta suprema adoratione honorare permittat, et
jubeat.

Idololatria, inquiunt recentiores increduli, et quam-
plurimi de Protestantium Sectis, Idololatria, et So-
lis, Ignis, adoratio relativa tantum erat: non idola
Graeci et Romani, non Solem et ignem Magi ado-
rabant, sed in rebus hisce primum principium ae-
ternum absoluto cultu venerabantur. Inconsulto id-
circo agebant Christiani, dum, contra Imperantium
mandata, despecto illarum Gentium religioso cultu,
mortem potius obire amabant, quam idolorum aris
incensum imponere, aut Ignem et orientem Solem
manus osculo salutare. Quaenam alia est Christia-
na imaginum, atque Sanctorum adoratio?

Mirum est, quod in tanto eruditionis lumine, con-
tra rei evidentiam, conscientia, ut arbitror, tacere
jussa, haec adhuc nobis opponant Christiani ho-
mines idololatriae caussam agentes contra Christianos
ipsos.

hausta a pueris odia, atque paterna praejudicia? Horum igitur doctorum sententia, atque consilio, antiqui Martyres, tot centena hominem millia, ad Capitolium una cum Ethnicis ascendere possent, ibique adulterum Jovem, impudicam Venerem, Mercurium latronem, ebrium Bacchum, Momum scurram, Martem furiosum religiosa imitatione demereri, atque honorare: illumque Diis cultum praestare, quem a Seneca (*a*) descriptum non sine risu vel stomacho legere possumus: *In Capitolium perveni: pudebit publicatae dementiae, quod sibi bonus furor attribuit, officii. Alius nomina Deo subjicit; alius horas Jovi nunciat; alius lictor est; alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt quae Junoni ac Minervae capillos disponant: longe a templo, non tantum a simulachro stantes, digitos movent ornantium modo. Sunt quae speculum teneant; sunt, quae ad vadimonia sua Deos advocent: sunt qui libellos offerant, et illos caussam suam doceant. Doctus Archimimus, senex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi Dii libenter spectarent, quem homines desierant. Omne illic artificum genus, operantium Diis immortalibus, desidet. Hi tamen, etiamsi supervacuum usum, non turpem nec infamem Deo promittunt. Sedent quaedam in Capitolio, quae se a Jove amari putant; nec Junonis quidem, si credere Poetis velis, iracundissimae, respectu terrentur.* Difficultatis, si qua illa est, danda solutio, ad ultimam argumenti partem hac sectione exponendum. nos deducet; quantum scilicet, qualeque sit Christianae adorationis ab

(*a*) De Superstitione; Liber, citatus a D. Augustino de Civit. Dei L. VI. cap. 10.

Idololatria, et Magorum religione discrimen. Respondeo igitur, Deos in idolis, post illorum consecrationem existere, in iisque absoluto cultu adorari, fatentur ipsimet Ethnici auctores, quorum testimonia superius adduximus. Habemus igitur confitentes reos: definita est caussa. De Zoroastro, et Magis satis hucusque diximus; atque post lectum Zoroastri librum, neque *Hide*, neque *Beausobre*, neque ullus alius proprii nominis amator, hunc lapidem movere debet. 2. Ulterius tamen dico, etsi daretur illarum gentium adorationem aliquo sensu esse relativam, ab illa nihilominus abhorreret naturalis et revelata religio; magnumque committerent piaculum Christiani, Persae et Romani, si vel Persarum, vel Romanorum relativum etiam cultum amplecterentur. Utrique enim Principum mandatis obtemperantes, polytheismum, plura et falsa Numina, superstitioso et falso cultu adorarent. 2. Deorum aris incensum imponere, sacrificia Diis offerre, Ignem, Solem, Lunam adorare, idem erat illarum nationum opinione, atque Christianae legi renuntiare. Statim enim ac Deos, Ignem, vel Solem adorabant Christiani aliqui, tormentorum acerbitate deterriti, liberi abire permittebantur; nulla amplius in eos quaestio; communia illis deinceps erant cum caeteris Ethnicis templa, jura, privilegia, libertas, omniaque Reipublicae munia, atque dignitates.

Quid tantopere, dicet aliquis, in Ethnicorum polytheismum, Deorum multiplicitatem, et religiosum cultum invehimur? Hostes fingimus, quos feriamus. Deorum nomine non vera Numina, sed antiquos gentis Heroes, claros homines de Republica bene meritos intelligebant, quos ob res praeclare gestas, vulgari apotheosi in Deorum numerum, et nomen relatos, et in statuis repraesentatos religiose adorabant. Quodnam vero est inter Ethnicam et Christia-

nam adorationem discrimen? Difficultas duo attingit capita, Deorum naturam, et originem. Quaenam Deorum natura, quaenam fuit inter gentes eorum origo? Quo ad utrumque caput: duplex Deorum classis, duplex natura, cultus et origo duplex. In prima classe erant magni Dii, *Jupiter*, v. gr., *Juno*, *Mars*, *Vulcanus*, caeteri: illorum natura credebatur divina, aeterna. Haec enimvero superius demonstravimus confessione et testimonio Ethnicorum Philosophorum, quibus de sua religione peritissimis nihil potest opponi. Hujusmodi Deorum idololatria inter homines incepit ab adoratione astrorum, et terrestrium elementorum, quae aeternis hisce spiritibus animari existimabantur. Magnis hisce Diis inferiores alii annumerabantur peculiaria corpora animantes. Hinc fontium, fluminum, montium, ventorum, marium Dii, Nymphae, Tritones, &c. Primam hanc fuisse idololatriae originem, atque de Diis inter homines opinionem, facile probatu esset ex libro Jobi, ex Sapientia et Prophetis; deinde ex Hesiodo, aliisque Poetis et Ethnicis auctoribus. Idem confirmatur argumentum, si antiquissimas nationes ab Ararath ad septentrionem et ad occasum, usque ad extremam Lusitaniam paullatim diffusas, et propagatas consideremus. Remoti Noemi nepotes ab Ararath versus Scythiam (Tartariam modo nuncupatam) longa generationum serie, et saeculorum fluxu se se diffundentes, et *Scythae* inde nuncupati, in alias et alias nationes, seu ejusdem nationis ramos et colonias divisi, quidquid terrarum jacet inter Ararath et Lusitaniam occuparunt; diversis nominibus in diversis regionibus appellati, Scythae, Daci, Sarmatae, Celtae, Gothi, Germani, Galli, Celtiberi. Integra diu inter Scythas servata est sancta Noemi religio. Sed, quae humanarum rerum conditio est, e mentibus, terrena tan-

tum cogitantibus, paullatim obliterata, indicatae modo spiritnum doctrinae locum dedit. Eosdem enim, quos modo diximus, spiritus in sole, planetis reliquis, in stellis fixis, in elementis statuebant omnes nationes Celticae, hoc est, tota fere Europa, et dimidia pars Asiae. Vide famosum *Edda*, veterum Celtarum mythologiam, a *Mallet* in linguam Gallicam versum. Mirum est, quod ab Islandis auctoribus, ab ultima Thule habeamus antiquitatis eruditionem, et nostrorum patrum memoriam. Sed de vastae eruditionis et criticae argumento haec attigisse satis.

Mos etiam aliquando inter Gentes invaluit, ut majores natu communi existimatione elatos, vulgari quadam apotheosi in quandam Deorum classem elevarent, eorum statuis templa construerent. Ita Romulum et Augustum Roma; Graeci vero, Ægyptii, Chaldaei illustres majores religioso quodam cultu honorabant. Sed longo intervallo inter se distabant magnorum Deorum, et mortuorum hominum cultus, ut infinita horum objectorum discrimina per se se ferebant. Neque de adoratione Romuli, v gr., aut Augusti communiter agebatur, cum Imperatorum jussu Christiani Deos adorare compellebantur. De Jove, de Apolline, de magnis Diis, imperii tutelaribus, agebatur.

Ad haec omnia paucis respondeo, et sequentia statuo. 1. Qui ab Ethnicis nomine Deorum homines adorari tantopere contendunt, quales sunt Beausobre, Brucherus, Mosheim, eo collineant, ut vel antiquos Martyres damnent, quod homines adorare noluerint, vel Catholicos Romanos idololatris adnumerent, quod sanctos homines adoremus. Sed hoc dilemmate, doctis hominibus indigno, neque a Martyribus eripitur corona, neque a nobis vera religio. 2. Martyres enimvero inter Ethnicos nati, educati,

civilique societate cum iis degentes, illorumque sensus, mores, religionem infinite melius docti, quam Mosheim, Brucher, Beausobre post mille et quingentos annos in mundum editi, Martyres, inquam, et Patres ita argumentabantur: Vestrorum Philosophorum et doctorum confessione polytheismum tenetis, nobisque, mille superstitionibus a vestro Seneca relatis, adorandum proponitis: at enim per rationem naturalem, per revelationem mille miraculis confirmatam unus verus Deus, una vera religio, unus verus cultus. Quod si, rejecta majorum sententia, non amplius plures Deos, sed homines et foeminas Deorum nomine donatos, in eorum idolis adorandos proponitis, non promovetis causssam. Homines et mulieres adorabimus solis vitiis et moribus infames, quorum religio ignota, Deumne agnoscerent incertum, nullae eorum virtutes constant, nulla ab iis patrata miracula, eorum cultus superstitiosus, infamis? Ratio, revelatio, verus cultus, et virtutis notio, Dei ipsius, honestatis, et justitiae idea ab hisce omnibus abhorrent. Utramlibet igitur hypothesim tenerent Ethnici, recte, et *ad hominem*, ut dicitur, argumentabantur Martyres et Patres. *Ad hominem*, inquam. Fuit enim tempus; fuere et Ethnici, qui, rejecta majorum sententia, Diis immortalibus et polytheismo, homines adorandos substituerunt. Patres igitur ex Ethnicorum suae aetatis opinione Ethnicam religionem impugnabant, quaecumque esset de Deorum natura tum temporis Gentium opinio. Porro S. Justinus, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, aliique Patres inter Ethnicos educati, et pars etiam Ethnicorum religionem antea professi, Deorum nomine spiritus intelligebant diversae naturae corpora animantes.

Ab hac errorum et superstitionum farragine toto

coelo distat Catholica religio. Unum Deum, aeternum, immortalem, suprema adoratione adoramus. Nulla divina lex est, quae homines Deo charos, Dei amicos, divinis beneficiis ornatos, gratia apud Deum valentes invocare et cultu, a suprema Dei adoratione infinite remoto et minori, venerari prohibeat. Sanctorum imagines proprie non adoramus Christiani. Nihil enim divinum aut sanctum in illis imaginibus agnoscimus; sed coram imaginibus sanctos beatosque homines divina gratia, beneficiis, et gloria donatos repraesentantibus, ita eos veneramur, ut religiosus ille cultus, coram imaginibus praestitus, primo et ultimo ad Deum ipsum dirigatur, qui mirabilis in Sanctis suis, et in ipsis etiam Sanctis adorabilis, omnia iis donavit, quae in Sanctis ipsis adoramus. Ex adoratione civili, verum adorationis sacrae sensum edocemur; unaque alterius potest esse exemplum. Regius administer gratia apud Principem admodum valens, quot ab omnibus non exorquet adorationes, iere semper mendaces? Salutationibus, manuum osculis, profunda capitis corporisque inflexione, laudibus, precibus colitur regium phantasma, adoratoribus ipsis fere semper odiosum. Vertatur scena (quod saepissime accidit phaenomenon), gratiaque Principis amissa, merus supersit homo, periculosa antea Principis imago. Quid tum? Totus disparuit civilis cultus: idem tamen remanet homo, et civis, et forsan etiam amicus, atque necessarius. Una desideratur principis gratia, tota et unica adorationis ratio. Hoc unum igitur probamus exemplo: Christiana Sanctorum coram eorum imaginibus adoratio est verus, sincerus, et religiosus cultus, et adoratio Dei in Sanctis suis. In hac Christianae adorationis analysi, et idearum expositione, quaererem ego a Calvinista, Mahometano, Hebraeo, estne aliquod idololatriae vestigium? San-

etorum aliquem a te religioso cultu e terris adoratum, parumper cogita, omnibus supernaturalibus gratiae et virtutum donis spoliarum, quae illum efficiebant justum, sanctum, Deo carum et amicum: tum vero cessat adoratio, et adorationis objectum atque ratio; cum omnia illa cessent, quae hominem nobis reddebant venerabilem, atque colendum. En Christiana Sanctorum adoratio, in qua ne Idololatriae quidem umbra apparet. Nihil in imaginibus agnoscimus praeter materialia corpora sanctos homines repraesentantia, nosque ad objecta repraesentata adorandum excitantia. Quid rei est inter hujusmodi cultum, et idololatriam commune?

Si tanta est, inquies, religionis naturalis dignitas; sublimia adeo dogmata, officia vero seu praecepta adeo rationi conformia, ut ea observando, non modo tot errorum monstra, atque vitia, hucusque exposita evitemus; sed et secundum moralem legem honeste, pieque vivamus; si naturalem praeterea religionem et legem demonstrat rationis lumen; satis superque erit naturalis ratio et religio ad humanam felicitatem assequendum. Haec est religio hominibus necessaria, et essentialis; quocumque tamen nomine alia proponatur eidem conformis, erit-ne superflua? Priusquam tamen in quaestionem gravissimam, morali Philosopho dignissimam, descendamus, superest ut secundum hujus sectionis caput, primo quidem affine, illustremus; superstitionem scilicet et Fanatismum, quae perinde ut Idololatria Religionis naturalis puritatem corrumpunt.

§. XI.

Superstitio et Fanatismus, rationi et religionis puritati contraria.

Superstitio et Fanatismus, de quibus tantopere disputatur, duo sunt argumenta Philosophiae tum physicae, tum moralis propria; quia in ipsamet hominis natura caussam habent, religionem inficiunt. Sed in hominum etiam moribus, atque opinionibus saepissime deprehenduntur duo haec humanae imbecillitatis argumenta. Homines maxime interest, quid rei illa sint agnoscere; quaenam eorum caussa et origo, quosnam producant effectus, quibus remediis medicentur. Singula breviter exponamus. Superstitio, attenta nominis significatione, et etymologia, idem est, atque superfluitas: re vero generatim accepta, est, = Usus et fides verbis, actionibus, aut rebus adhibita, quarum efficacia et connexio cum objecto, quod iis mediis quaeritur, neque ratione, neque natura, neque legitima institutione probari potest. Divisione et exemplis res fiet manifesta.

Multiplex distinguitur Superstitionis species: *religiosa*, *divinatoria*, *auguralis*, *medica*, *sanitatis*, *litteraria*. Amor etiam, vindicta, timor aliarum Superstitionum origines existunt. Hominem novi, qui piscium caput nunquam manducabat, in honorem, inquiebat, capitis Divi Joannis Baptistae. Ticho Brahe homo doctus, et celebris Astronomus Danus, in campum aut villam egrediens, si leporem videbat viam transversim currentem, eum diem sibi fore infelicem augurabatur, domumque illico petebat, ea die non amplius egressurus. Ex avium volatu, ex intestinorum victimae statu felicem, infelicemve aggrediendarum rerum eventum augurabantur Romani. Sunt qui, audita nocturna et lugubri bubonis voce, aliquem in vicinia propediem esse morturum

existiment. Juvenis amore flagrans philtris utitur, iisque confidit parem amorem in amata persona excitaturum. Medicos novi, qui, ut emissionem sanguinis aut medicinam purgantem praescriberent, quasdam Lunae phases scrupulose aspectabant. Sanitatis cura plus justo scrupulosa, mensae etiam et ciborum amor, quam par est, delicatior, infinita superstitionis exempla suppeditant vulgo notissima. Quaenam vero, nisi per mentis imbecillitatem, concipi et admitti potest efficacia aut connexio inter transcurrentem leporem, et diurnam infelicitatem; inter bubonis vocem, et hominis mortem; inter avium volatum, et prosperam eventuum futurorum fortunam; inter abstinentiam a piscium capite et Divi Joannis Baptistae honorem? Nimia sciendi aut ditescendi curiositas, crudelitas, terror multiplicium superstitionum origines et caussae existunt.

Ex generali superstitionum definitione, divisionibus et exemplis exposita, et confirmata, sequentia consequuntur, expositas quaestiones solventia. 1. Cum media ad obtinendum finem inutilia sunt, media proculdubio superflua existunt: qui iis utitur, iisque confidit superflue agit. Rationis vero est, ex natura rerum physica aut morali superfluitatem definire: patet igitur et nominis et definitionis ratio. 2. Superstitionum tot distingui posse, quot passionum species. Plures adduxi in exempla, ceteras adducere possem. 3. Superstitionum caussas esse passiones ipsas, cum ignorantia, et imbecilli credulitate conjunctas. Cum ignorantia, inquam, de inutilitate medii, de quo agitur. Alioquin enim superstitiosus potest esse doctus circa res a sua superstitione alienas. Tichoni Brahe infinitos alios possem adhibere. Quinam antiqui populi Graecis et Romanis superstitiosiores? Erant tamen omnium nationum cultissimi. Unde vero, quaeres, politicum hoc phaenomenon?

Passiones majorem partem sunt factitiae : hae vero omnes status socialis sunt propriae ; et Societatibus, earumque divitiis, artibus , et cultura crescentibus, augentur et multiplicantur , perinde ut vitia , ipsae etiam passiones . En igitur phaenomeni caussam . Aliter tamen philosophandum de Societatibus Christianis, atque de hodierno scientiarum statu , in nostra saltem Europa. Religio Christiana , omnis superstitiosi cultus inimica , et quae modo est scientiarum naturalium cultura, superstitionum vanitatem, ostendunt ; et quo perfectior est earum cognitio, efficacius sunt illius mali remedium.

4. Superstionum effectus , qui infiniti sunt , et pro passionum rerumque varietate diversi, a doctis hominibus non ignorantur . Hosce omnes , eorumque vanitatem exponere , esset totam religionem, physicam , medicinam , astrologiam , chemicam aggredi. Speciminis loco sit religiosa superstitio. Haec igitur ex generali notione , est = Cultus non legitimi , ed idcirco superfiui , usus et fides . = Cultum non legitimum dico , quem Deus , neque per se , neque per ejus ministros instituit, neque ratio naturalis ex natura ipsa probat , et confirmat . Contra vero internus externusque cultus , caeremoniae , verba , quae vel natura ipsa , et ratio nos docuit , vel Deus per se , vel per ejus legitimos ministros tradidit, a superstitione sunt penitus aliena . Et hinc neque religionis naturalis , neque Mosaicae , neque Christianae cultus et ritus sunt superstitiosi . Priores enim Deus, natura, ratio: secundos Deus per Moisem: postremos Deus per se , per Apostolos , et per eorum Successores instituit, quos ipse posuit regere Ecclesiam Dei .

Sed ut aliqua de peculiari hac superstitionis specie dicamus , quae religiosa nuncupatur , licet non religioni , sed ignorantiae religionis in partem tri-

bui debet ; juxta generalem superstitionis notionem dici potest = imbecillitas ignorantis vanaeque pietatis, falsum cultum observantis, et juxta illum agentis. = Secum enim semper fert cultum religionis nulli legitimae institutioni innixum, atque idcirco vanum, falsum, imprudentem, vanis terroribus ex rerum ignorantia aliquando excitatum, rationi, verae pietati, sinceraeque religioni contrarium. Quae aliarum superstitionum, religiosae etiam sunt caussae ; passiones scilicet, et ignorantia religionis. In haec duo refunduntur confusio idearum, tetra imaginatio, vanus terror spectrorum, spirituum, apparitionum, (des revenans.) (*a*) Qui enim fieri potest, ut animus ita affectus, circa religionem et mores non deliret, verisque rerum notionibus inversis, confusis, immutatis, falsa, vana, minima pro veris, sinceris, maximis non usurpet, inanesque umbras vera objecta non existimet, atque pro vera sinceraque, pietate, cultu, et virtute, inutiles vanasque caeremonias, et observantias, non statuat ? Quid

---

(*a*) Quaenam phantasmata sibi creare possit imaginatio humana, satis ostendit famosa illa *Vampyriorum* historia et scena in Moravia, et nonnullis Hungariae regionibus nostro hoc sacculo edita. Consanguineos et Amicos post aliquot dies sepulchro jam compositos, consanguinei et amici superstites existimabant redivivos videre, ad mensam sibi assidere, secum mutuo conversari. Vampyriorum sepulchris, examinandae rei caussa, reclusis, corpora vivido colore suffusa, sanguinis circulatio adhuc superstes credebatur : tum vero acuto palo Vampyrii corpus transfigebatur, eoque pacto tractatum Vampyrium non amplius apparebat. Illud etiam triste accidebat, ut cui apparebat Vampyrium, moriendo evaderet etiam Vampyrium. Hisce omnibus de Caroli VI. Imperatoris mandato scrupulose in loco examinatis, graves aliquot Auctores adhibuere fidem, dubitantibus aut negantibus aliis. Quantum ad me attinet, *credat Judaeus Apella*. Vide Calmet *Dissertation sur les Vampyrs*.

nocturnis somniis, spectris, inanibusque visionibus non dabit? Nihil adeo absurdum est, quod ab animo pie deliranti non sit merito timendum. Superstitio, ignorantiae, et erroris semper comes et effectus, una secum imbecillem credulitatem defert. Ad res igitur ignorantia et errore dignas cogitandum, credendum, et exequendum semper ducit. Inanibus rebus pondus adhibet, umbris corpus, inutilibus et malis quandoque rebus et actionibus bene sibi, consulere, bene de hominibus, bene de Deo mereri existimat. Hominibus ita ignoranter credulis insit etiam animus, temperamento fervidus, et tetra melancholia praeditus. Tum vero in fanatismum degenerat superstitio, nihilque est ab hominibus ita delirantibus non timendum. Si fanatico homini in mentem veniat, de se, de temetipso, et apud Deum mereri, si te amice occidat; ubi nam gentium existes a fanatico amico securus? Singulare hujusce rei exemplum olim a me lectum apud *Cornejo*, Ordinis D. Francisci Historiographum Hispanum, argumentum confirmat. Frater *Juniperus*, inter Laicos illius religiosi Ordinis agebat; homo quidem minime malus, et mira tum morum, tum etiam mentis simplicitate praeditus. Monachus quidam ab interiori claustro ad Templum progrediens, Juniperum trans portam, quae a Templo Coenobium ingressuris aperitur, gladio armatum e longe animadvertit. Nova militis specie ridendo commotus: quid agere cogitas insane; quorsum arma? Ad facinus me accingo, bene de Deo, bene de vobis meriturus. Quid rei est? Vos omnes hac die in coelum inscios transmittam. Quomodo? Hora modo est, qua Fratres e Templo, peractis Sacris, Deo reconciliati et amici, hac via ingredientur. Ut igitur coelum ingrediantur, id unum superest, ut eorum capita truncentur; itaque, velint, nolint, ad coelum, ad Deum emittan-

tur beati atque securi. Religiosos homines totam diem transegisse de pia honesti hominis simplicitate ridentes facile credimus. Pro scena tamen una risu digna, quot millia in mundo accidunt planctu et lacrymis accipienda? Quamdiu hujusmodi delirium superstitiosi hominis animum et mentem pracide afficiens ad vana, inutilia, et inania religionis phantasmata prosequendum, citra violentiam, incitat et exeritur; unum praesefert superstitionis nomen, atque notionem. Cum vero ita intenditur, ut in violentas actiones prodire possit, omnesque moderationis, prudentiae, justitiae, decori, atque humanitatis regulas et limites transgredi; tum vero in fanatismum degenerat.

Fanatismus.

Fanatismi nomen atque notio ex eo derivari videntur, quod homines nonnunquam interno furore agitati, quasi essent a Diis inspirati, et entheo spiritu afflati in Deorum *fanis* futura praedicere, occulta detegere mentiebantur. Hinc fanatismus, fanatici, enthusiastae. Nostra aetate fanatismus, argumentum superstitioni admodum affine, generatim usurpatus, est ardens et coeca animi affectio et zelus ad objectum prosequendum incitans, contra prudentiae regulas. Fanatismi ita generatim usurpati, et fanaticorum hominum tot distinguuntur species, quot sunt passionum discrimina; ut de superstitionibus modo diximus. Alius igitur est fanatismus religiosus, de quo statim pauca; alius politicus, literarius, philosophicus, seu *anti-religiosus*; alius luxum, vestes, mensam, dapes prosequitur; alius est recentium, semperque variantium inventionum fanatismus: alius circa antiquos mores et usus delirat. Singulorum exempla passim videas; notiones

vero ex generali definitione, et objectorum distinctione intelliguntur. *Anti-religioso* fanatismo agitatur modo in Europa numerosa sciolorum multitudo, Philosophi per injuriam nuncupati, et *non-religionis* enthusiastae. (Liceat nova verbi structura rem exponere.) Enthusiastica eorum sententia, omnis religio tolli e mundo deberet. Deus immortalis, quonam tandem evadunt humanorum animalium deliramenta!

In philosophici, et politici fanatismi, atque enthusiasmatis exemplum communi totius Europae voce adducitur, quo modo agitatur et ardet Gallia. Haec una omnium nationum auditur lingua, vox, atque sensus. Monstrum horrendum, informe, ingens, memorabile philosophicae et politicae incredulitatis monumentum, nobis quidem vigilibus oculis rem videntibus somniuin, futuris nepotibus fabula, utrisque tamen suamet incredibilitate certum. Philosophicae libertatis, seu licentiae digna erit commendatio, cultissimam nationem a quatuordecim fere saeculis Monarchica constitutione, civilibus legibus, religione, scientiis, moribus florentem, in informe civilium omnium rerum chaos, in Babelicam, non verborum, sed opinionum, sententiarum, legumque confusionem et contradictionem vertere: integram nationem in politicam veluti vertiginem et convulsionem adducere, ut ab externis internisque hostibus timens, ab illis quidem circumdata expugnetur, ab his vero tyrannide opprimatur; cruce semper ob oculos posita, fame, miseria, calumniis, carceribus pereundum esse videat: nullam a legibus civilem securitatem; a patre et matre, a muliere, a marito, a fratribus timere: de fortunis, domo, vita in horam non esse securum: occisum Regem et Reginam humanitate commendabiles: nobiles universim Familias, dignitatibus, honoribus destitutas, direptis fortunis in

plebis classem redactas, et in voluntarium exilium compulsas: Religionem eversam: templa et altaria spoliata, destructa, in profanos usus conversa: religiosa utriusque sexus claustra, Philosophis jubentibus, deserta: sacros altarium ministros et pastores a concivibus ad mortem quaesitos, occisos: fugitivos, exules ab exteris nationibus asylum, panem, et vitae securitatem quaerentes: Deum ipsum, ejusque religionem transmissam: datamque per leges civibus libertatem de Deo dubitandi, Deum negandi, irridendi, et quocumque libuerit modo, de Deo, de animabus humanis, de futura vita statuendi.

En tibi aliquale specimen philosophici et politici fanatismi, quo flagrat adhuc, et in sui perniciem vergit Gallia. Ex rudi hoc specimine et exemplo sponte deducuntur sequentia, animadversione imprimis dignissima. 1. Fanatismum veluti contagium, ab aliis ad alios communicari, et communicatione ipsa intendi, a parvaque scintilla magnum provenire incendium. 2. Philosophicum Gallorum fanatismum ex pruritu imperandi, et ex odio erga religionem, totum esse. 3. Humanas passiones, sicut de superstitionibus diximus, proprias esse et praecipuas fanatismi causas. Si incredulos audias, fanatismus a religione originem ducit. Estne ergo a religione fanatismus erga luxum, mensam, externumque fastum? Fanatismus litterarius, philosophicus, seu *anti-religiosus* estne etiam a religione? Idem etiam de fanatismo amoris, aut odii, quo homo hominem, natio nationem ejusdem religionis odio habet?

Quin immo Christiana religio, rite intellecta et observata, inter praecipua fanatismi remedia numerari debet. Per Christianae religionis institutionem, dogmata, praecepta unus Deus credendus, et absoluta supernaque adoratione adorandus; omnes homines amandi, perinde ut unusquisque se ipsum amat;

diligendi inimici; iis benefaciendum, qui nos odio habent; pro persecutoribus et calumniantibus orandum; secundum justitiae et charitatis leges cum omnibus agendum. Qui haec sibi statuunt, ita cogitant, vivunt, agunt, possuntne periculosi fanatismi esse auctores?

Quod si Christiani aliquando, cujuscumque Sectae sint, religionis praetextu in fanatismum incidunt, non id religioni, sed humanis passionibus, homines universim ad vitia incitantibus, tribuendum. Secundum generalem fanatismi notionem superius positam, fanatismus religiosus est = inconsultus zelus, ex religione male intellecta conceptus, ad vana, iniqua, et ipsimet religioni contraria incitans. Religiosus fanaticus in seipsum aliquando, in alios homines saepe iniquus et crudelis, laeto animo ita agit, ut bene de se ipso, de aliis hominibus, de Deo bene mereri existimet. Eadem fere sunt superstitionis atque fanatismi, cujuscumque speciei sint, principia seu caussae, effectus, et remedia: nisi quod in fanatismo vehementius agant caussae, periculosiores edantur effectus, difficiliora adhibeantur remedia. Est enim, dicique potest fanatismus = violentae superstitionis exercitium. Caussae quidem passiones et ignorantia: quibus accedit aliquando humor melancholicus, fervens temperamentum, tetrae imaginationis vivacitas. Quanta ab hominibus hujusmodi indole praeditis non patrentur scelera, plena sunt omnia historiae monumenta, et, dum haec scribo, exemplo docet Gallia. Quid enim a principiis non timendum, rationis usum aegre permittentibus? Melancholiae est, objectis alienum colorem tribuere: tetrae imaginationis microscopii munus agere, objecta creare, eorumque fallacem magnitudinem augere, formam immutare: fervidum tandem temperamentum vehementiore calore, quam lumine, incita-

tum actionem prius praecipitat, quam mature cogitet. Fanatismi effectus ulterius exponere superfluit. Quae in Gallia modo patrantur facinora, et incredibilia fere scelera, quorum rudissimum specimen modo retulimus, luculentissimae historiae loco esse possunt. Fanatismi remedium est ratio, prudentiae consilium, doctrina, temporis mora; quae omnia in rationem tandem resolvuntur. Haec una tetras imaginum umbras lumine dispellit, proprioque objecto forma, coloribus, magnitudine restitutis, temperamentique praecipitantia refraenata, verum agendae rei meritum ob oculos ponit. Uno verbo, ut te a superstitione et fanatismo liberum serves, consule primum, atque edisce, quid justitia, quid humanitas, quid vera erga Deum officia, quid tua, quid aliorum hominum jura ferant. Haec, inquam, bene consulta, examinata, concepta, superstitionis atque fanatismi praesens tibi erunt remedium.

Atque haec sunt, quae religionem naturalem obscurant, corrumpunt, aut penitus tollunt. Corrumpit quidem superstitio, fanatismus, Idololatria: tollunt Diismus, et Atheismus. Naturali autem religione sublata, nulla amplius superesset, ut diximus, vera virtus, seu morum doctrina, nulla humana societas, nulla naturalis beatitudo seu felicitas, ultimus moralis philosophiae scopus. Sed in haec argumenta descendamus.

§. XII.

Solane ratio, et Religio naturalis sufficiunt, an ratio ad revelationem, Religio naturalis ad revelatam ducunt?

Plura hoc capite complectimur. Duplex Diistarum classis. Primi hoc nomine vulgo nuncupati, Dei

quidem existentiam, et legem naturalem tenent: nullam tamen religionem aut cultum, propterea quod, inquiunt, Deum se ipso beatum, infinito intervallo a nobis dissitum, humana non tangunt, neque nostrae movent virtutes, neque offendunt vitia. Alii vero mitiores Diistae, et Naturalistae proprie dicti, etsi omnem revelationem reficiant, Dei tamen existentia, et providentia admissis, naturalem tantummodo profitentur religionem. Haec igitur eorum doctrinae summa; nullam existere revelationem, solamque veram esse religionem naturalem: una esse tenenda dogmata, quae ratione intelligimus. Esse igitur Deum unum, providentiam, vitam futuram, bonorum, malorumque praemia aut poenas. Deum cultu interno honorare, illiusque voluntatem naturali ratione perspectam, et conscientiae dictamine constantem scrupulose exequi, opus esse; quoad reliqua omnia, naturali lege servata, unumquemque genio suo agere, et vivere posse: omnem externum cultum, et religionem a naturali distinctam, superfluam prorsus esse, atque inutilem: solam rationem nobis a natura datam esse credendi et agendi interpretem, atque ducem: Religionem legemque naturalem, unum rationis et naturae dictatum, unam etiam esse debere nostram credendi, et vivendi regulam. Si aliud praeterea ad naturalem hominis Beatitudinem opus esset, satis operi suo non providisset naturae Auctor.

Contra primos Diistas in Metaphysica demonstravimus theoretica religionis naturalis dogmata, et principia; superius vero ejusdem existentiam necessitatem, officia. Cum Naturalistis modo agendum: triaque haec statuenda sunt capita. 1. Est ne pura ratio ad religionem legemque naturae, ut par est, demonstrandam, et sanciendam satis? 2. Praeter religionem naturalem ratione demonstratam opus ne

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL ÉVORA MANIZOLA

est religio revelata; an potius ad revelationem per se se ducit? 3. Judaicae, et Christianae revelationis existentia et veritas.

Primum caput, res est utrimque disputata inter ipsos etiam revelatae religionis assertores. A pura ratione naturalem legem, et religionem penitus demonstrari, communis est plurimorum sententia. Sunt tamen, qui ut revelationis necessitatem firmius adstruant, rationis confinia, et provinciam admodum contrahant, satisque ab illa, ut par est, utrumque demonstrari non posse existiment. Non unus tamen est eorum sensus. Humanae rationis virtus et energia, inquiunt aliqui, ad sublimia adeo argumenta intelligendum, et demonstrandum impar existit. Communis illa hominum omni tempore, et loco idea, opinio aut fides de Dei existentia, animae immortalitate, similibusque aliis naturalis legis, et religionis capitibus, non rationis energiae fructus fuerunt, et naturalis revelatio, sed omnipotentis creatoris beneficium, et supernaturalis revelatio, hominibus in prima eorum creatione facta, et traditione, ab aliis ad alias generationes transmissa, et semper conservata. Si alios audiamus, pura ratio religionis legisque naturalis detegendae per se quidem capax est, naturali illius energia et lumine spectatis: eoque propriae mentis acie pervenerunt homines ingenii profunditate illustres. In usu tamen, humanaque vita, et conditione consideratis, atque de tota humani generis comprehensione, et, ut ita dicam, massa, generatim loquendo, illarum rerum clara cognitio humanae mentis aciem fugit.

Ut in argumento gravissimo recte philosophari possimus, ponamus primo, rationis Pyrrhonismum ex utraque parte exclusum: rationisque evidentiam ut certum veritatis criterium. 2. Quaestio deinde instituì potest de ratione naturali, ut modo est, at-

BIBLIOTECA PUBLICA ARCIVESCOVILE ANTONIANA ALOISIANA

que fuit in barbaris cultisque nationibus, aut de ratione naturali a prima hominis creatione, et constitutione sibi semper relicta. Animadvertendum praeterea, quonam statu, et religione vivamus, qui praesentem excitamus quaestionem: in statu ne puraé rationis naturalis; an doctrinam etiam revelatam tenemus? Utriusque enim confinia, et veluti provinciae accurate distinguenda. ut quantum rationi, quantum etiam revelationi tribuendum sit, recte possit definiri.

Dico igitur, ratio naturalis humanis praejudiciis, atque passionibus non obcaecata naturalem legem, et religionem demonstrat, sufficiensque est utriusque promulgatio. Sicut revelatio supernaturalium rerum credendarum ratio est: ita pura ratio naturalium rerum, scientiarum et artium naturalis dici debet revelatio, hominibus a Deo indita, ut in tot errandi periculis praesens semper nobis sit lumen, ductor, et monitor. Qui periculosiores esse possunt errores, quam qui legem naturalem et religionem spectant? Tot enim vero artes, et scientias a vulgi captu admodum remotas et reconditarum veritatum comprae-hensione sublimes, humanae mentis opus esse: solam vero naturae legem et religionem, per se se quidem claras, infimaeque plebis animos, mentem perenniter pulsantes plus etiam, quam caetera, hominibus necessarias; ad solam, inquam, hanc maximi momenti Scientiam, necessariam, captu facillimam, omnium animos perenniter pulsantem, ad humanam felicitatem, et civiles societates omnino necessariam, extra rationis naturalis limites et vires esse positam? Satisne nostrae hominum conditioni, providisset naturae Auctor?

2. Sola ratione naturali omnia illa principia demonstramus, unde evidenti idearum connexione naturalis religionis officia, legisque praecepta derivan-

tur. Unum Deum, ens necessarium, caussam primam, et rerum omnium creatorem existere: ejus Providentia, Justitia, Beneficentia, aliaque Divinitatis attributa, Animae libertas, spiritualitas, atque vita futura in evidentiae rationis argumentum adduci possunt. Nos, nostraque omnia Deo deberi, omnes homines natura nasci aequales: unumquemque se se necessario amare, et in Felicitatem aspirare, ne Pyrrhonismi quidem delirium serio vertere potest in dubium. En religionis, legisque naturalis principia, inconcussa fundamenta et fontes, e quibus sponte fluunt utriusque dogmata et praecepta. Rei specimen circa religionis officia superius dedimus, uberiorem, quod legem spectat, inferius daturi.

3. Sunt etiam modo, fueruntque olim plures nationes naturalem legem et religionem citra ullam revelationem, sed solo rationis lumine agnoscentes, et secundum unamque et videndi rationem, et rempublicam instituentes. Caeteris nationibus cum antiquis, tum recentioribus nulli eruditorum ignotis, impraesentiarum transmissis, Sinenses, natio scilicet antiquissima, aeque, atque numerosissima, vivum est atque perenne assertae propositionis exemplum, atque demonstratio. Sequentia de gente illa constant. Ad diluvii epocham fere ascendere politicam, et civilem Sinarum societatem, continuata viginti duarum dynastiarum serie ad nos usque productam. Paterno fere jure et dominio stare et gubernari vastissimum illud imperium, legum suavitate, artium cultura, praescriptaque morum urbanitate, et suavitate illustre. Quidquid apud Sinas alicujus nominis est, et valet, omnes scilicet litterarum, belliqúe Manderinos, Magistratus, principes, totam illam nationis partem, quae cogitat, studet, dirigit, praeest, mandat, aeque a revelata religione, atque ab Atheismo alienam, naturalem legem tenere, unumque Deum, re-

rum omnium principium, et rectorem colere, *Tien*, gentis lingua nuncupatum. Si Atheismum profiterentur Sinae, tum vero Sinense imperium Atheismi esset miraculum, et triumphus : cultissimaque Societas Civilis Atheismo deberetur. Legem tandem naturalem, atque morales virtutes Sinis esse notas, ab iisque maxime commendari. Haec enim vero omnia testantur infiniti Europaei Missionarii, homines quidem religione, et litteris illustres, qui tota fere vita inter Sinas transacta, gentis linguam, doctrinam, mores apprime agnoscunt. Pauca, ex infinitis, quae adduci possunt, luculentissima rei testimonia lege ad pedem paginae apposita (*a*).

(a) *On y voit surtout dans un des leurs livres Canoniques nommè* Chu-King, *que ce* Tien, *ce premier Etre, l' objet du culte public, est le principe de toutes choses, le pere des peuples, le seul independant, qui peut tout, qui n' ignore rien de ce qui est le plus cachè, pas meme le secret des coeurs; qu' il veille a la conduite de l' Univers; que les divers evenemens n' arrivent que par ses ordres, qu' il est saint, sans partialitè, uniquement touchè de la vertu des hommes, souverainement juste, punissant avec éclat le crime jusque sur le Trone, qu' il renverse, et sur le quel il place celui qui lui plait: que les calamitez publiques sont des avertissemens qu' il donne pour la reformation des moeurs; que la fin de ces maux sont des traits d' une justice misericordiuse, comme, par exemple, lorsqu' il arrête les grands degâts causez sur les moissons et sur les arbres par un furieux ouragan, aussitôt qu' un illustre innocent, un Prince* Tcheou Kong *est rappellè de son exil, justifiè de la calomnie, et retablì dans sa premiere dignitè. . . . . Quand on s' est consacrè tout entier a la sagesse, tout réussit, on est toujours content, toujours heureux : mais quand on ne se donne à la vertu qu' à demi et pour un tems, on éprouve à coup sur tout le contraire. Le bonheur ou le malheur depend donc de l' homme : car les recompenses ou les châtimens du ciel dependent de nos oeures bonnes ou mauvaises. . . . . On decrit encore les sages enseignemens de* Tcheu Kong, *frere de l'*

At per Sinarum leges licet, inquies, puerorum expositio: manifestus paternae postestatis abusus, naturae ipsius, atque humanitatis voce clamans. Demus id parumper, respondeo, quid tamen? Naturalem propterea legem ignorant Sinae? Quasi scilicet Geometriam nesciret, qui hujus theoremata demonstrans, problemata solvens, in uno vel altero demonstrando, aut resolvendo falleret. Naturali, atque revelata religione in Europa vivimus. Quid tamen in nostra morali politicaque scientia frequentius, quam in argumenta incidere, a principiis admodum remota, quae definire certo non possumus; atque idcirco in diversas opiniones dividimur? Moralis, Politica, reliquae scientiae et artes mille hujusmodi dubiis scatent. Ea ne propter naturalem revelatamque legem ignoramus? Hoc sibi forsan antiqui Sinenses Legislatores proposuerunt politicum problema, prodigiosa Sinici muliebris sexus foecunditate supposita, quid communi Reipublicae bono confórmius, pauperrimis parentibus, filiorum numero oppressis, puerorum expositionem permittere, ut publica forsan praestet humanitas, quod paterna non potuit indigentia: an expositione vetita, pauperrimos parentes una cum numerosa imbellique prole miserum perire? Absit ut problema Sinicum pro puerorum expositione resolvam. Multiplici ratione evitari posset utrumque problematis politico-moralis extremum. Illuc tamen redeo: ex falsane unius problematis, seu quaestionis solutione auctorem dicemus Geometriae, Moralis, Politicae ignarum? Sed quid in falso argumento tantum immorari?

Empereur Vou-vang, *qui se rendit à jamais recommandable par sa bonne foi, par sa sagesse, et par ses autres vertus. L' Empereur en mourant lui confia son fils aîné, et le gouvernement de l' Empire durant la minorité.* Du-Halde, Histoire de la Chine, Tom. II.

Sinensium ipsorum sensus, imo et verba in Gallicam linguam translata, audiamus, et legamus. Primo igitur, sub una antiquarum dynastiarum lege imperii cautum erat, ne exponerentur infantes. 2. Hujusmodi tamen lege fluxu temporis obliterata, viget tamen semper generalis alia lex lethali poena occisores afficiens. Occidere igitur infantes lege publica cautum est. Quid tamen de expositione infantium citra mortem? 3. Contra ejusmodi inhumanitatem declamant plures Sinenses libri a Mandarinis conscripti: abusus tamen toleratur cautelis aliquot et providentia modificatus. 1. Sunt aliquot in imperio civitates, in quibus auctoritate publica ad expositos infantes recipiendos et alendos, nutricibus aere publico conductis, erecta sunt Xenodochia. Quid tamen tantilla haec in immenso imperio? 2. Infantium expositio illarum tantum familiarum vitium et peccatum est, inquiunt Sinenses, quae extrema inopia pressae (sors quidem innumerabili plebi communissima), una cum filiis perire debent, nisi periculum expositione caveant. 3. Tandem infantes ad divitum familiarum fores, aut Bonziorum Pagodes exponuntur, quaerendae misericordiae, humanitatis et charitatis gratia.

Hisce tamen non obstantibus indubium, innumeros pene infantes apud Sinas quotannis exponi, et miserum perire.

Audiamus modo Mandarinos Gallice loquentes (*a*).

(a) *Cependant nous voyons parmi le peuple des gens si pauvres, qu' ils ne peuvent fournir les alimens nécessaires à leurs propres enfans: c' est pour cela qu' on expose un si grand nombre: autrefois, sous une ancienne dynastie, on tâcha de pourvoir à la conservation de ces enfans exposés; on bâtit à ce dessein un édifice, qu' on nomma l' Hôtel des Enfans de la Misericorde. Quand on trouvoit un enfant exposé, on le portoit à l' hôpital, et le Mandarin lui donnoit une nour-*

4. Rectene de Dei Providentia, Justitia, atque Bonitate cogitat, qui rationem naturalem, inditum scilicet hominibus a Deo lumen, ducem vivendi, et magistrum, ad potissima vitae rationalis munera, ad

---

rice pour l' allaiter. Cette nourrice recevoit du Trèsor Royal une somme d' argent et certaine quantitè de riz. C' est ainsi que l' Empereur, par une libéralité digne d' un grand Monarque, se montroit le pere de son peuple, en prenant soin de ces pauvres orphelins.

Sous una autre dynastie, deus grands de l' Empire, l' un nommè Kia-piao, *l' autre nommè* Tchin-hoen, *entreprirent de faire nourir et elever les enfans exposés: on pretend qu' il sauverent la vie a plusieurs milliers d' enfans, qu' on surnommoit par reconnoissance des noms de ces grands hommes* Kia, *et* Tchin. *Ainsi on les appelloit les petits* Kia-tchin.

Les pauvres, les esclaves, les meres malades, ou dépourvues de lait, et des autres moyens d' élever leurs enfans, les exposent par la necessitè extrême où il son réduits. Avez- vous jamais vu des Chinois tant soit peu à leur aise en venir à cette extrêmitè ? Or quelle néeessitè si pressante y a-t-il d' ouvrir des corps, de fouiller dans leurs entrailles, comme dans une mine, pour en tirer des connoissances plus curieuses, qu' utiles? la terre, la mer, les montagnes, les plaines, les cavernes, les mines, les animaux terrestres et aquatiques ne fournissent-ils pas aux Médecins toutes les drogues nécessaires pours la guérison des maladies qui peuvent se guerir ? Et puisque par la dissection des cadavres, on n' en trouve point qui rendent l' homme immortel, pourquoi respecter si peu la nature humaine, qu' on en vienne jusq' à dechirer par lambeaux la chair de ceux qui ne vous ont point offensé? On voit à la Chine déterrer des scelérats dont les crimes n' ont été dècouverts qu' après leur mort: on ne les coupe point en pieces, parce que leur chairs sont pourries, mais on jette leurs ossemens dans les grands chemins hors des villes, pour y être foulés par les bêtes de charge, et moulus par les charrettes; juste punition de leurs crimes ordonnée par la loi. Vous dites que chez vous ce sont les cadavres des criminels qu' on dissèque, excuse frivole, car puisque les tribunaux n' ont pas jugé le criminel digne de ce châtiment, pourquoi le lui faire souffrir après sa

hominis officia, ad moralem vitam demonstrandam non sufficere autumat? Ad vitam physicam, artes, scientias, ratione data, providerit Deus, de morali tamen homine, moribus, religione, rebus sane ho-

---

mort? Il n' a plus de sentiment, dites vous: cela est vrai; mais quel est l' homme qui ne frèmisse, s' il sçavoit qu' après sa mort on dût l' écorcher, couper, diviser ses chairs, et disséquer jusqu' aux moindres parties de son corps? Est-on maître sur cela de son imagination? Ce n' est pas précisément la mort qu' on appréhende, c' est la maniere de mourir. On étrangle ici les criminels, quand leurs crimes n' ont mérité que la mort, il n' y a point effusion de sang: si les crimes sont plus griefs, on leur tranche la tête; mais quand les crimes sont atroces, on les coupe en dix mille pieces. Ceux qu' une dure nécessité contraint d' exposer leurs enfans, pour n' être pas temoins de leur mort, ne manquent pas de les envelopper, et de les porter dans des lieux publics, d' où ils espérent qu' on les emportera pour les faire élever, ainsi qu' il arrive souvent. Ils sçavent que des gens sont chargés de les ramasser et de les porter à l' hôpital, ou il y a des nourrices gagées pour les allaiter. Enfin s' ils meurent avant que d' arriver a cet hôpital, on les enterre dans un lieu qui leur est destiné, et les parens n' ont pas le déplaisir de les voir périr sans secours et privés de la sepulture. Vous direz que quelquefois on les expose sans prendre ces precautions, que même pendant la nuit on les jette par-dessus les murailles, ou dans des lieux écartés. Il est vrai, mais ces enfans qu' on jette ainsi, sont d' ordinaire venus au monde par des voies criminelles, et leur naissance, si elle étoit connue, deshonoreroit la famille: c' est un crime qui en attire un autre; c' est un grand désordre, mais où n' y en a-t-il pas?

On ne voit point ailleurs de pareils crimes, leur répliquai je, qui ne soient pas défendus par les loix, et dont on ne fasse nulle recherche, comme il arrive ici; c' est ce qui me paroît criant. Cette recherche est presque impossible, me répondirent-ils: a quoi peut-on connoître les parens de ces enfans exposés? L' endroit où on les trouve ne prouve pas qu' ils soient du voisinage: ils viennent souvent de loin: du reste cette action est defendue par la loi en général, qui défend l' homicide sous peine de mort. Il est vrai,

minibus, si qua alia sunt, essentialibus satis non providerit? Quid enim? Rationem non sufficere, revelationem esse necessariam; integrum tamen humanum genus, per tot annorum millia, sine revelatione, sine necessario hoc lumine, et duce per tenebras ductum, sibi ipsi, et propriae rationis lumini a Deo optimo maximo commissum! Per Déi ne Optimi maximi Providentiam stabit, procelloso vastoque mari transfretando committi homines, ne-

---

répondis-je, que chez toutes les Nations polies l' homicide est puni de mort; il est encore vrai qu' il n' y a point d' endroit au monde où l' on fasse plus de fracas pour la mort d' un homme que dans votre honorable Royaume. Que quelque malheureux, pour se venger de son ennemi, aille se tuer lui-même à sa porte, le tribunal se saisit de l' affaire, et elle ne se termine presque jamais, que par la ruine du maître de la maison, et quelquefois des voisins, de sorte que sous prétexte de rendre la justice, on commet de véritables injustices; qu' on colore en disant: gin min-yao-King, la vie de l' homme est de conséquence: on a opprimé ce malheureux, on l' a mis au désespoir, on l' a forcé de se donner la mort. Excusons, si vous voulez, les excès de cette recherche en faveur de la bonté du principe: je demande pourquoi vous n' avez pas le même zéle pour ces enfans infortunés, dont la perte ne semble pas même vous émouvoir? on les voit exposés au coin des rues, aux portes des villes et des pagodes, presque toujours, à la vérité, avec les précautions que vous dites, mais ces précautions n' empêchent pas que plusieurs ne meurent: pourquoi ne recherche-t-on pas les auteurs du crime? pourquoi ne fait-on pas d' informations chez les voisins? Me repondrez vous, ce que j' ai entendu dire a quelques-uns de vos compatriotes, qu' il ne s' agit que d' une petit vie, et que ce ne sont que de petits êtres? on diroit, a les entendre, que ce sont de petits arbrisseaux qui ne font que sortir de terre, et qu' on n' oseroit toucher à des arbres qui ont pris leur accroissement. Nous l' avons déja dit, me répondirent les Chinois d' un ton plus humble et plus modeste, c' est un vrai desordre, mais on n' a pas de moyens pour y remédier.

cessario duce, et nauclero destitutos, jure tamen de quocumque navigationis infelici casu puniendos? Haec enimvero fuit humani generis sors, si humana ratio legem naturae non demonstrat. Ad moralia officia naturali lege praescripta, et hominibus essentialia proculdubio tenebantur: eorum transgressione peccabatur: at sine manifestatione Legis nullum peccatum. Quaenam vero fuit ejus promulgatio seu demonstratio, cum revelatio non fuerit, et ratio non sufficiat? Uno verbo, quidquid hominibus scitu necessarium est, atque essentiale ad salutem, iis debet esse manifestum: is vero est naturalis legis et religionis casus, et observantia: quandoquidem igitur revelatione non constabant, rationis opus fuit utriusque manifestatio.

5. Quid si revelatio ipsa partes rationis tueatur? *Cum Gentes*, inquit Paulus Apostolus, *quae legem*, (scriptam, seu revelatam) *non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum; et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. Gentes*, inquit; *naturaliter*, inquit, (hoc est naturali ratione) non Philosophi modo, aut pauci aliquot in nationibus cultiores. Omnibus scilicet gentibus apertus semper est naturae liber et argumenta ipsiusmet naturae; idiomate omnibus notissimo, *coeli enarrant gloriam Dei*. Fuit ne revelatio necessarius hujus enarrationis interpres? Citraque revelationem linguam naturae non intelligimus? At sola ratione hanc coelorum vocem adeo intelligunt homines, *ita ut sint inexcusabiles* (a).

6. Quonam sane modo haec inter se componere,

(a) Paullus ad Romanos.

omnibus universim animantibus ita creatoris Dei munificentiam providisse, ut nihil illorum naturae deesset ad eos, quibus destinabantur, fines obtinendos necessarium; unum vero fuisse hominem, primum naturae ornamentum et caput, ejusque imprimis animam, immortalem omnipotentis Dei imaginem, a communi illo beneficio esclusum? Homines ad legem religionemque naturalem observandum, eoque pacto beatitudinem assequendum creare; eorum tamen mentibus, sublimium alioquin reconditarumque scientiarum capacibus, lumen non indere ad essentialem eorum finem, et media agnoscenda, et assequenda necessaria? Eos homini sensus, et rationem dare, quibus quae media corporis, vitaequae felicitati utilia, noxia, aut necessaria sint cognoscere possit, atque discernere: quae vero animam spectant, mores, legem, religionem, summam rerum, ultra mentis aciem esse posita, hominemque, quod haec omnia spectat, necessaria premi ignorantia, densis tenebris involutum? Ab his sane concipiendis atque credendis sponte sua abhorret mens humana.

Quoniam tamen exemplis potissimum agunt rationis naturalis detractores, quibus illam in vitae usu satis non esse contendunt; ab hoc etiam fonte deducamus argumentum. Primo quidem dogma de immortalitate animae, et futuro ejus statu post praesentem vitam, deque supremo rerum omnium auctore fuit semper inter homines, illudque non modo in nationibus cultis, sed in barbaris etiam, et sylvestribus deprehendimus, nulla unquam vel crassissima ignorantia, passionum tumultu, aut studioso Materialistarum errore obliteratum. Infinitam mentem mundanae machinae praesse, communis semper fuit hominum cogitantium, et philosophantium sensus. Vertine in dubium potest, Romanos, Graecos, Ægyptios, Persas, Sinenses legem naturalem, et re-

ligionem coluisse; cum illarum gentium etiam doctorum sententia, civitas potius in aere fundata, quam Respublica sine religione, et naturali lege concipiatur? Si praeterea in humanae vitae et civilium Societatum usu religio naturalis et naturae lex pura ratione demonstrari servarique non possit, quomodo essent homines a peccato inexcusabiles? Unde igitur innotuit nationibus religio, lex naturae, utriusque dogmata, et officia? Unde sunt inexcusabiles? Ab aliquane forsan primitiva revelatione, primo homini facta, atque inde a generationibus in generationes transmissa, et traditione conservata, dictarum modo nationum, caeterarumque civilium Societatum religio, legis naturae cognitio, atque revelata mox dogmata originem habebant? An potius ex nationum cum Hebraeis commercio gentibus tandem innotuere?

Uterque rem explicandi modus nonnullis arrisit; unde tamen habetur haec doctrina? De primitiva revelatione altum est in tota antiquitate silentium. Eam post tot annorum millia in scenam producere, poesim potius sapit, quam philosophiam. De Hebraeis vero, nomine quidem ubique fere olim ignotis, illos in mundo esse omnes ignorabant nationes; si Ægyptios, finitimasque alias excipiamus. Nonne ante Moysen, priusquam scilicet in civilem rempublicam coalesceret Hebraeus populus, imo et ante Abrahamum plures jam erant gentes in civiles nationum Societates, et respublicas adunatae? Ægyptii, Persae, Indiani, Sinenses illa tempora praecesserant. A futurane igitur Hebraeorum natione, an a nunquam existente revelatione necessaria Societatum civilium fundamenta acceperant?

Haec tandem videtur esse totius rei summa. Hominem creavit Deus mente et voluntate praeditum, rationabilem, liberum, atque ad naturalem aliquem

certumque finem destinatum. Rationem et voluntatem liberam, potissimum atque essentiale esse voluit humanae speciei ab animantibus caeteris discrimen, et facultates, quibus se se dirigere posset, suarum actionum dominus; et ad proprium denique finem cognoscendo et agendo pervenire. Perinde ut animantibus omnibus, reliquisque corporibus ad proprios quibusque fines destinatis, peculiares indidit vires, quibus media ad finem assequendum necessaria suo modo invenirent, et ponerent, pari sane providentia homines respexit Deus. Quisnam vero hominis, spirituali anima cogitante et libera praediti, physicarum, moraliumque rerum cognoscendarum capacis, bonum a malo discernentis, ad futuram immortalemque vitam destinati, quaenam, inquam, esse possunt ad eum finem assequendum media? Nisi leges, agentis rationabilis atque liberi propriae, religio, mores, lex naturalis, et moralia utriusque officia, quibus bene de Deo semper mereamur, nostraque munera adimpleamus? Qua ratione ab agente rationabili quaeritur finis, quaeri, poni, et cognosci possunt media: quo modo ponentur, quae ignorantur? Si natura ipsa, a summo creatore accepta, ad finem immortalem, ad Deum vitamque futuram contendimus; ex natura etiam, ex naturali lumine rationi indito, unica illa via ad metam ducens nobis debet esse nota. Nisi ita statuamus, melius cum animantibus, quam cum homine actum esset.

Rationis caussam, inquies, sustinendo prodimus: totoque hoc argumentorum apparatu in speciem quidem rationis partes tenemus, re tamen nobismet ipsis illudimus, et thesim nolentes deserimus. Ita enim philosophamur revelatione edocti. Naturalis religionis Legisque principia, officia, revelatione a Deo manifestata et traditione transmissa a prima pue-

ritia hausimus, luminosam doctrinam educatione, diuturnaque consuetudine confirmatam, rationi adeo conformem cogitando animadvertimus, ut eam deinceps, ut naturale potius rationis dictamen existimemus, quam lumen aliunde in nos derivatum, et revelatione acceptum. Antiquos populos, Philosophos, doctosque cujuscumque nationis homines perindene, ut nos de sublimibus hisce argumentis cogitare, loqui, agere deprehendimus? Quodnam Ethnicos inter et nos quoad haec omnia idearum doctrinaeque discrimen? Matutina crepuscula gentibus videntur concessa, cum nos meridiana perfundamur luce.

Quid enim? Naturalis religio et lex naturae est principiorum, officiorumque complexio ex natura rerum, atque ex Numinis, nostri, aliorumque hominum cognitione derivans, et sponte fluens. Eone profunditatis attingit tantilla hominis ratio? A Deo creati, nobisque ipsis relicti, materialia tantum objecta sensibus perciperemus: spirituum naturam, atque veritates abstractione mentis conceptas, a sensuum provincia remotissimas, nonnisi revelatio nobis detegeret, aut innatae mentibus ideae. Respondeo: quantum ab Inacho distet Codrus, a ratione revelatio, homoque naturae ab homine revelata doctrina instructo, non ignoro, neque dissimulo. Revelatio non modo plures veritates rationis captui difficiles, plures etiam ab humano captu infinite remotas edocet, sed sanctione praeterea, facilitate, plurimisque aliis capitibus infinito intervallo rationem superat. Si revelata igitur doctrina instructi ex ipsiusmet doctrinae argumento rationis partem sustinemus, majus inde assertae veritati momentum superadditur. Si homines solo rationis lumine praediti de naturalis religionis et legis transgressionibus inexcusabiles erant, si ad impossibilia agnoscendum et observandum non tenebantur, si necessaria illa et tamen pu-

nienda hominum ignorantia cum infinita Dei omnipotentis Bonitate, et Providentia componi non potest; si plures cultissimae nationes solo rationis lumine naturali, respublicas sive Societates civilibus, legibus illustres statuerunt per plurima saecula superstites; si mentem aeternam, animae immortalitatem, vitam futuram, spirituum existentiam plures etiam agnoverunt antiqui Philosophi, quid Deo ipsi injurii hominis rationem, animamque ita deprimimus, ut unus inter caetera animantia ad finem sibi a Deo praestitum assequendum natura ipsa sit incapax? Caetera in difficultatis confirmationem subjuncta ex hucusque dictis satis superque solvuntur, nulliusque momenti esse demonstrantur.

Quaenam igitur est, quaeres, revelationis utilitas, aut necessitas? Dum rationem ad legem, religionemque naturalem demonstrandum, et observandum satis esse sustinemus, in revelationis utilitatem, necessitatem, existentiam pronuntiasse videmur. Si ratio sufficit, superfluit igitur Revelatio. In secundum gravissimi momenti caput descendamus.

§. XIII.

Ratio ad revelationem ducit: seu Ratio necessitatis et existentiae revelationis argumentum.

Duo in re praesenti evitari debent philosophiae scopuli. Primum, ea rationis sufficientia, ut penitus superflueret revelatio. 2. ea revelationis necessitas, ut illa deficiente, ratio prorsus non sufficiat, hominesque proinde revelationis ignari a naturalis religionis, et legis transgressione excusari debeant. Primum, quod est purus naturalismus omnia rationi, sublata revelatione, concedit. Secun-

dum vero, ratione depressa, totum revelationi tribuit. Utrumque et rationi, et revelationi parum conveniens. Inter duo extrema incedendum est: aeque ab utroque scopulo declinandum. Ratio naturalis homini a Deo data ad naturalia hominis officia, media, finem agnoscendum, et exequendum satis erat: ita ut excusari non possent. Propositionem Dei Bonitati, Justitiae, Providentiae innixam, revelationis testimonio, et rationis evidentia constantem, luculenter hucusque demonstravimus.

Hominum tamen ratione affectibus, passionibus, ignorantia obscurata, terrenisque tantum rebus implicata, eo corruptionis devenerat humanum genus, ut citra religionis revelationem, et sanctionem moraliter esset impossibile naturalem legem, religionemque, ut opus est, agnoscere, sancire, observare. Attentaque proinde omnium nationum complexione et statu, religionis, legisque naturalis revelatio est moraliter necessaria. Uno verbo, ratione naturali a Deo accepta, ejusque usu spectatis, revelatio opus non erat ad legem naturalem agnoscendum; ratione vero naturali humanis passionibus, et ignorantiae tenebris involuta, ejusque abusu et corruptione consideratis, revelatio est moraliter necessaria. Hoc sane modo Dei Optimi Maximi humanam naturam creantis, aut reparantis Providentiam commendamus: primitivum lumen a Deo datum necessarium fuit et sufficiens: primitivi luminis humanis passionibus, et ignorantia obscurati reparatio fuit etiam moraliter necessaria.

Propositio ita exposita plurimis demonstrari solet et potest argumentis. Efficacissimum existimo, quod ex facto deducitur. Existit enim vero Revelatio, non modo antiquae Hebraeorum legis per Moysen et Prophetas a Deo facta, sed nova etiam Christianorum per Christum Servatorem nostrum, atque a Chri-

sto pariter toti humano generi manifestata. Hujusce facti veritas luculentissima est propositionis demonstratio. Inutilia enim, aut superflua peculiari lumine a Deo revelari, cogitatu etiam impium esset et absurdissimum. Ut igitur hoc ratiocinium absolutissima evadat demonstratio, una superest facti ipsius expositio. Longa oratione res esset prosequenda, si id impraesentiarum agerem, ut Ethnicum populum de nostra Christianorum religione penitus instruerem, ad illamque amplectendam argumentando adducerem. Sed inter Christianos, hominibusque legentibus et meditantibus potissimum scribenti, juxta antiquum proverbium *intelligenti pauca*, rei potius capita sunt indicanda, quam pleno calamo disserenda.

Octodecim fere a saeculis in mundo existit Christiana religio, ex parvo Judaee angulo, primo ejus originis loco, a gente in gentem diffusa, et per totum mundum paulatim divulgata, atque a generationibus in generationes ad nos usque transmissa: religio, inquam, dogmatum sublimitate, moralisque doctrinae puritate humanam mentem superans, unumque auctorem Deum sapiens: omnibus humanis passionibus, et voluptatibus contraria, iis tamen perperam reclamantibus, a nationibus probata, amplexa, et ab innumerabili Christianorum multitudine, mille tormentorum, mortisque generibus confirmata, antiquis Prophetis promissa, innixa, et ad unguem respondens, citra omnia eloquentiae ornamenta, verborumque aut figurarum fucum, hominum animos alliciens, flectens, trahens, non imperantium decretis, armis, violentia, neque Philosophorum argumentis, aut Rethorum eloquentia, sed ab obscuris, indoctisque hominibus nude exposita, et praedicata; mundanarum rerum honores, dignitates, divitias non quaerens, sed animos potius, ab earum rerum a-

more retractos ad pietatem, justitiam, caeterasque omnes virtutes colendum, et comparandum docens; Dei tandem ipsius, naturaeque voce, et argumentis demonstrata. Dei inquam, et naturae: aliud enim esse dicique non possunt Christianorum dogmatum inaccessa aeque atque rationabilis sublimitas, totque miracula omnes naturae vires superantia, atque ad religionis veritatem confirmandam ab auctore naturae facta. En igitur Christianae revelationis character, et facti veritas, incogitantibus indicata, meditantibus vero demonstrata.

2. Argumentum facti hucusque expositum luculenter confirmat naturae humanae indoles, et penitior inspectio. Homo natura liber, suarumque actionum dominus, inter bonum et malum discernens, sui amore semper ductus, propriamque felicitatem, et bonum quaerens, a passionum vi et oblectamentis ad dulce malum continue allectus, sui tamen, futuraeque sortis solicitus, non nisi certa aliqua gravissimae poenae sanctione a devia passionum semita efficaciter retrahitur. En humanae naturae fundum, nostrarumque actionum ordinem et regulam. Poenarum timorem, solicitudinem, sanctionem cogitando parumper tolle; aut sanctio circa futuram poenarum, praemiorumque existentiam alioquin certa, nihil tamen de utriusque rei diuturnitate, et intensitate certo statuat: tum vero quid a vitiosis sensuum oblectamentis praesentibus, et perpetuo allicientibus nos tandem retrahet, atque ad rationem audiendam, religionemque colendam adducet? Ita igitur natura comparati sumus, ut praemii spe et amore, poenarumque timore semper ducti, ea tantum sanctione efficaciter ducamur, quae et certa sit, et eam poenae, et praemii speciem statuat, quae praesens meritum large compenset, demeritum vero gravissime puniat. Haec vero omnia revelatione tan-

tummodo statuuntur. Haec enim omnes universim homines doctos et indoctos, cultos atque incultos citra longas, subtilesque meditationes instruit, sublimesque veritates docet: religionis dogmata, et officia, poenarum praemiique aeternitatem, atque intensitatem ita clare statuit, et sancit, ut rudioribus etiam nullum superesse possit dubium, cum de revelatione conveniunt.

Alius plane est rationis character. Religionis naturalis principia, plurima ejusdem dogmata, atque officia demonstrat. Futuram superesse vitam, praemia, aut poenas post mortem bene aut male merentibus manere, per rationem dubitare non licet. Quid tamen de poenarum aeternitate, natura, et modo, dictat, demonstrat, et sancit ratio? Si revelationem excludamus, obscura involvimur idearum caligine et dubio. Si post revelationem nonnulli etiam Christiani Patres de poenarum aeternitate, et modo dubitarunt; quid si nihil de illa diceret revelatio, sed sola ageret ratio? Quidquod plurimas religionis veritates, quas revelatio quasi lumen nolentibus etiam et rudibus ob oculos explicat, non nisi longa idearum serie, profundaque meditatione detegimus, atque demonstramus. Haec ne vero rudem populum, hebetis, incultique ingenii homines, cogitandi, meditandi, sublimesque et universales veritates a sensibus remotas concipiendi incapaces: haec, inquam, existimabitur apta rudem populum instruendi ratio, legis, religionis, poenarumque sanctio? Quid plura? Revelationi plurima difficillima, atque supra humanum captum manifestanti, tutius acquiescimus, quam rationi circa sublimia adeo argumenta balbutienti.

3. Ratione naturali et revelatione inter se comparatis, quod rem praesentem attinet, sequentia inter illas dignoscuntur discrimina, et utriusque character.

Ratio quidem tarda, ratiocinii methodus, et via longa, laboriosa, ardua, multis religionis capitibus agnoscendis impar, ad alia non nisi profunda rerum meditatione attingens, in hominibus incultis, indoctis, rudibus, terrena tantum cogitantibus, hoc est, in maximo totius humani generis numero, educationis potissimum vitio, obscura, mille erroribus et praejudiciis affecta: hominibus quidem doctis, cultis, meditantibus naturalem legem et religionem clare demonstrans, utriusque sanctionem non satis definiens, parumque circa illam secura. Alius plane est revelationis character. Cum Dei, infinitae Veritatis, et Sapientiae testimonium existat, quidquid hoc modo habemus secum fert divinae Fidei characterem. Semel igitur ac de revelationis existentia constat, quod rationis, conscientiae et sensuum munus est, nullum de revelatis veritatibus superest dubium. Revelatio igitur, tamquam fulgur, citra ullam mentis contentionem et laborem, reconditiora quaecumque religionis mysteria, rationi inaccessa demonstrat, doctis aeque atque indoctis, cultis atque incultis respondens, circa religionis principia, dogmata, officia, pariter atque circa poenarum, praemiorumque sanctionem clara, certa, et secura. Exempla ipsa, et praesens hominum status rem totam confirmat. Juvenis, impubes, rudis villicus, misella anus, Christianae revelationis cultores ingenio parum valentes, et sola revelatione instructi canutis antiquitatis Philosophis ingenii acumine praeditis, harumque rerum meditatione contritis, de sublimiori religionis doctrina doctores esse possunt. Rem plane fatebitur quisquis veterum Philosophorum, hoc est naturalis rationis deliria, fuse in Metaphysicis exposita, et impraesentiarum transmissa, per otium legat.

4. Sed temetipsum, quicumque tandem mea haec patienter legis, ad veteris idololatriae tempora retro-

tractum, et sacris Gentium erroribus imbutum parumper cogita. Modo ad Martis, aut Veneris, ad Jovis, Vulcani, Neptuni, modo inter ipsos etiam Philosophos, et inde inter rudem plebem statue. In diversis illis hominum et reipublicae ordinibus natus, educatus, vitamque agens, pars etiam illorum ordinum existens: eadem tibi, atque illis hominibus esset opinandi, loquendi, et agendi ratio, et modus. Quid enim homo, nisi illius educationis summa? Quaenam esset tua religio et mores? Moralem Ethnicorum doctrinam cum revelata Christianorum religione comparemus. Quaenam inter comparationis terminos differentia, atque infinita distantia! Quid non purum, rationabile, sanctum in nostris Christianorum templis, et cathedris auditur, aut legitur? Nihil in morum regulis, in sacris nostris libris in revelata religione traditis, pietatem, aequitatem, justitiam, atque humanitatem non redolens. Non impuris, inhumanisque sacrificiis, sed *spiritu et veritate Deum* adoramus, et precamur. Uno verbo in revelatae religionis sacrificiis, mysteriis, doctrina, morumque regulis, nihil reprehendere, nihil quod non laudare, admirari, adorare valeas.

Contra vero purae rationis epocha, et veluti provincia inspectis, si Gentium templa ingrediamur, plebem, et Philosophos ipsos audiamus, quantum distat ab Inacho Codrus, si ita loqui fas est, a ratione revelatio, naturalisque a revelatae religionis status? Religiosis templis humano sanguine conspurcatis, cruentis innoxiarum victimarum sacrificiis, quibus auditis, aut visis fremere debuisset humanitas; Deorum nominibus rei prorsus inanibus, aut vitiosis, scelestisque hominibus vulgari apotheosi in Deorum classem relatis litabatur. Tantum poterat, eoque devenerat Sacerdotum avaritia, et sycophantia, populi ignorantia, rationis imbecillitas. Ipse e-

tiam Philosophorum, doctorumque hominum Academiae, Scholae, et Lycea ab absurdis etiam de religione sententiis non erant immunia. Quantum circa sublimia naturalis religionis fundamenta reperet, aut caecutiret humana philosophia, expositis Philosophorum erroribus, late in metaphysicis docuimus. Si haec inter Philosophos, et cultiores cujuslibet nationis ordines; quisnam esset minuti, rudisque populi sensus, ideae, doctrina? Cum communis haec nobis esset ad ea tempora translatis religionis conditio, a te ipso quaere, esset necne revelatio hominibus ea ignorantia, rerumque obscuritate, et incertitudine fluctuantibus, utilis, et moraliter necessaria?

5. Externus praeterea religionis cultus, sin minus homini, civi tamen, nationumque religioni, et Societati servandis, maxime necessarius, quo tamen modo, sanctione, et auctore, exclusa revelatione, satis constitueretur? Solo interno cultu officia, muneraque religionis praestaret homo solivagus: humana tamen Societas citra externum religionis cultum, perinde staret, atque civitas in aere fabricata. Externus enim vero cultus perenne est, atque existimari debet religionis magisterium, educatio, et schola, rudibus aeque atque sapientibus aperta, omnes generatim continuata lectione instruens, religionis officia monens, animosque ad Deum agnoscendum, amandum, adorandum, ad pietatem caeteraque religiosa munera praestandum, communi exemplo adducens. Vivam hanc publicamque, et perennem scholam e medio sublatam pone: civesque singuli, nullo sexus, aetatisve discrimine, rudes pariter inculique villici, atque caeteri reipublicae ordines, quod religionem spectat, proprio quisque genio atque arbitrio vivat, sentiat, agat, nullo majorum exemplo edocti. Quaenam superstitionum multiplicitas,

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO HISTÓRICO DE MANIZOLA

atque absurditas, quaenam errorum monstra in rudi potissimum plebe vigerent? Si Christianus populus, toto revelationis lumine veluti circumfusus, a cunis ad sepulchrum usque sacro religionis cultu, publico exemplo, vivaque Sacerdotum voce quotidie instructus, et monitus, in tot saepe superstitiones deflectit, falsasque ideas amplectitur; quaenam esset religio, ubi haec omnia desiderarentur? At unius Dei est, eum prescribere religionis cultum, quo ab hominibus adorari velit. Quis enim mortalium aeterna Dei consilia, et voluntatem perscrutari temerario praesumet?

Ratio, inquies, ille est divinae voluntatis interpres, et divinorum consiliorum scrutator, a Deo ipso hominibus datus, quo perinde, ut religionis naturalis doctrinam, ita ejusdem cultum Numini gratum, atque rationabilem discernere, probare et praescribere posset humana Societas. Respondeo, etsi eadem esset dogmatum, atque cultus evidentia; inde etiam confirmaretur tradita hactenus doctrina: qualiscumque statuatur humanae rationis energia ad principia religionis intelligendum, eo tamen devenerat, ut ad illa, ut par est, demonstrandum, et sanciendum revelatio esset moraliter necessaria. Par igitur ex cultus natura, et modo, desumitur argumentum. Sed alia longe est rei utriusque evidentia. Sunt veritates per se quidem non modo necessariae, sed et aut lumine rationis notae, aut ab aliis per se notis evidenti idearum catenatione fluentes: sunt et alia facto quidem constantes, solo tamen voluntatis arbitrio positae, naturae vero necessitate, aut rationis evidentia nequaquam certae. Prioris ordinis sunt principia, et dogmata religionis naturalis, aeternae veritatis dogmata idcirco nuncupata: ad posteriorem spectat externus cultus. Parine rationis evidentia constat, Deum existere, in-

ternoque amoris actu esse amandum, atque flexo genu, nudis pedibus, et capite ad terram usque flexo esse adorandum?

Satis igitur ex hactenus dictis consequitur haec veritas, totius disputationis et thema, et corollarium: ratio naturalis ad revelationem supernaturalem, religio naturalis ad revelatam homines ducit. Utriusque dictata sunt moralia hominum officia, 1. quidem quae Deo, deinde, quae nobis, tandem quae aliis hominibus debemus. Priori capite hucusque exposito, ad alia descendamus.

§. XIV.

Officia hominis erga se ipsum, ex Lege naturali derivantia.

Post Deum, et nostra erga illum officia, dignitate quidem omnibus aliis infinito intervallo praeferenda, unusquisque hominum ratione dictante se ipsum ante omnia respicit, et amat; aliusque inde enascitur officiorum ordo naturali, divinaque lege praescriptus, et ex communi saepius jam asserto omnium officiorum, humanarumque actionum principio derivans. In eo quodammodo conveniunt moralium, et physicarum actionum principia. Materialium caussarum naturalis conditio est atque naturae lex, ut prius, atque efficacius in proximiora, quam in remotiora agant objecta: actionisque energia sensim a caussa recedendo languescat. Quis autem se ipso proximior sibi esse potest? Homo ad utramque cum physicae tum moralis caussarum classem spectans, eadem communi lege in utroque ordine agit, et agitur. Esse igitur, et merito dici apparet suarum actionum principium et centrum. Omnia aeque ex principio prodeunt, et ad centrum ex circumferentia reflectuntur. Ita e tellure omnium corporum

effluvia sursum quaquaversum exhalant, in eandem relapsura. Te ipsum serio inspice, et meditare, parvum humanum mundum physicum, et moralem a cunis per totam deinceps vitam meditando prosequere, puerum infantem, adolescentem, virum, senem a te ipso in te ipsum semper respicere, et agere animadvertes. Quod in cunis sola vi physica, instinctu, et sensu, postea ratione, et voluntate quaeris et agis.

Haec vero agendi ratio non humano vitio tribuenda, sed a nostro, rerumque omnium auctore nobis insita, sancta, et rationabilis, semper est tenenda. Ita enim natura comparati sumus: Haec est physica, et moralis hominum conditio. Cum corpus et anima existamus, duoque haec sint essentialia humanae naturae elementa, et partes mirabili quodam modo inter se unitae; nostrumque esse, vigere, et agere, de physico, rationali, et morali participet; secundum triplicem hanc rationem et objectum ex naturae lege nos respicere, corpore, mente, animo agere debemus. Ad nostra igitur erga nos ipsos officia recte statuendum, et definiendum, triplici huic objecti divisioni insistamus; aliaque ab aliis distinguamus. In homine igitur distinguimus primo corpus et animam: in anima intellectum et voluntatem. Tribus hisce comprehenditur totum humanum esse, vivendi agendique principium. Rursus homo et civis duo sunt inter se distincta, etsi in eodem individuo insimul existant: aliudque sunt hominis, aliud civis status, jura et officia. Homines existimus natura, cives autem conventione libere facta. Eoque modo prius est et praestantius esse hominem, quam esse civem, quo natura humanas conventiones praecedit, iisque praevalet. Homo igitur ante civiles conventiones est homo naturae, et in statu naturali existit: juraque et officia ejus status propria, aut

ex pura hominis natura consequentia, jura et officia naturalia, necessaria et absoluta nuncupantur. Humanis conventionibus homini naturae accedentibus, tum vero homo, solius naturae antea opus, fit et dicitur civis, et in statu Societatis existit; qui factitius et hypotheticus idcirco appellatur, quod non ex naturae necessitate, sed ex libero hominum *facto*, atque *hypothesi* consequatur. Jura et officia hujusce status propria, atque a conventionis hypothesi necessario consequentia, jura et officia naturalia hypothetica, seu status socialis nuncupantur. Duplex hic jurium officiorumque ordo amice in eodem cive conveniunt, inter se tamen semper distincta: aliaque sunt jura et officia hominis seu purae naturae, alia vero jura naturalia Societatis.

Aliud est inter utrumque statum, eorumque jura et officia discrimen, quod homo, post Deum, se ipsum tantum respiciat, nullis adhuc Societatis vinculis adscriptus: civis vero, sacris semper manentibus hominis erga Deum, et se ipsum officiis, ad alios cives potissimum referatur. Posteriori hoc argumento interim transmisso, quae homo sibi ipsi debeat, quid in se ipsum naturali jure possit, prosequamur.

In homine iterum distinguamus corpus, et animam: in anima intellectum, et voluntatem; hoc est hominem physicum, rationalem, moralem. Corpus et anima inter se unita secum ferunt vitam, quae nostrarum omnium actionum fundamentum est, et in iis maxime consistit, juxta antiquum illud proverbium, *vivere est agere*. Quid enim homo, si omnis in illo cessat motus, seu actio physica, rationalis, moralis? Agendo nosque respiciendo, proprium quaerimus bonum, et felicitatem: haec autem in nostraemet naturae et facultatum existentia, conservatione, et perfectione consistens, no-

strarum actionum debet esse scopus, et objectum. Esse igitur, conservari, corpore, mente, animo perfici, nostra esse oportet erga nos ipsos naturalia officia. Quoniam autem potius est, esse, quam agere, et agendo perfici; primum hominis officium erga se ipsum est esse, seu vivere, seu nostri conservatio. Id in corporibus vitae expertibus efficit, et probat naturalis inertia, in animantibus inertia, instinctus et sensus; in hominibus una cum iis agit ratio. Aliquid ne igitur in vitam nostram possumus? Seu quonam officio erga vitam servandam, aut tollendam tenemur?

§. XV.

Suicidium, seu hominis in vitam, mortemque suam dominium.

Quaestionem modo attingimus in morali philosophia celeberrimam. Hominis in se ipsum officia, atque jura consideramus; inter illa vero hominis ipsius vita potissimum est disputationis caput. Homone, passim quaeritur, ita in mundo vivit, ut vivendi privilegium, seu beneficium abdicare nunquam possit? E nostrone telluris globo egredi, praesentem cum futuro rerum statu commutare, et datum nobis a Deo vitae donum philosophica urbanitate rejicere liberis mortalibus negabitur? Habes, quid argumenti impraesentiarum agitemus.

Homo, quod rem praesentem attinet in duplici statu considerari potest, scilicet naturae et societatis: in primo solo jure naturae, in secundo vero et naturali, et civili lege tenetur: id igitur quaerimus habeat necne homo ejusmodi in se ipsum naturale dominium, ut mortem sibi consciscere possit, quin contra legem naturalem aut regulam morum peccet. Humanas enim, divinasque leges im-

praesentiarum non consideramus . Ad quaestionem juris examinandum facta ipsa, omnibus aetatibus, locis et gentibus non infrequentia, humanam mentem deduxerunt. Homines enim vero sibi ipsis mortem intulisse , in omnium nationum antiquis , recentibusque historiis passim legimus . Neque id solummodo, ut saepissime fit , inter tumultuantium passionum aestus , sed sedato etiam , et frigido , ut dicitur , sanguine saepe id facinoris patrasse legas , audias , videas. Singulare est Robeck Germani Scriptoris factum , cum librum pro suicidio scripsisset, doctrinam suomet exemplo confirmavit. Quis sane Catonem , Themistoclem , plurimosque alios, cum Graecos , tum Romanos illustres simili morte sublatos non meminerit? (a) Quid etiam apud feros Japones solemnius , quam ventrem sibi in crucis formam conscindere, atque crudeli moriendi methodo e vivis excedere ? (b) Si ab extremo Asiae angulo ad occidentalem Europam mentem convertamus , Anglos pari se se occidendi furore abreptos offendimus. Neque id tantum in nationibus bellica virtute , et constantia praeditis videmus phaenomenon ; in timidis etiam Americanis nationibus , in pavidis , miserisque Cafris in servitutem redactis rem saepissime observamus. Atque haec duo postrema argumento sunt , suicidium neque heroismi, et strenui animi, neque virtutis, neque philosophiae esse indicium. Pusillanimitati potius , desperationi , mentis perturbationi , atque furori res est tribuenda . Quae enim philosophica virtus , aut heroismus in barbaris miserisque Cafris , et silvestribus Americanis?

Tot tristia facta in juris quaestionem facile deducunt . Qui se se occidunt in naturalem ne legem

---

(a) Cornel. Nepos. (b) Cartes do Jaopon , Orleans , Bartoli .

peccant, aut se se peccare existimant? Suicidii patrocinium ingenii ostendendi caussa sibi proposuit *Rousseau*, sibique postea respondet: languidius pro secunda, quam pro prima parte ab illo agi non mirabitur, qui hominem noscat, si quem alium paradoxotaton, eloquentiae potius, quam veritatis amore duci. Qualiscumque sit hominibus se occidentibus in extremo agone sensus, certum plane est; *Suicidium lege naturali esse prohibitum.*

1. Homo se ipsum occidens quatuor haec munera insimul ageret Judex, reus, accusator, carnifex. Actio vero haec omnia insimul involvens, secum ipsis ex natura munerum repugnantia, naturali rationi opponitur. Adde praeterea, quod esset Judex caussae ignotae. Haec enim est ejus sententiae summa, et proprii judicii dictamen, me occido, ut melioris conditionis fiam, malumque praesens, quo in hac vita premor cum bono, aut minori saltem malo in futura vita commutem. Interim tamen, quae illum in altera vita, sors maneat, plane ignorat. Id vero non esset in caussa ignota proferre sententiam? 2. Homo vel in naturae, vel in Societatis statu, seu civilis conventionis vivat, in nullo eorum sui ipsius est; sed in primo quidem Dei tantum creatoris, in secundo autem et Dei, et Societatis. Quod autem jus majus in se esse potest, quam se se posse destruere, vitae mortisque esse arbitrum? Id ergo jus non homini, qui totus ab alio est, suique juris non existit, sed iis tantum convenit, qui et sui juris sunt, et in hominem ipsum jus habent supremum, 3. Lege naturali hominibus injunctum est, se invicem amare, alios non occidere. Jam vero magis, priusque semetipsum, quam alios quisque nostrum per naturam amat. Si ergo ita alios amare tenemur, ut occidere non possimus; potiori jure eadem erga nos adstringimur Lege. Cum ex hoc

capite argumentum deduco, cum Epicureis, caeterisque Materialistis res mihi amplius non est, inter quos, Tullio ipso fatente, nulla esse potest certa officiorum doctrina. Deo enim eiusque Providentia, animarum immortalitate, atque vita futura, totius scilicet honestatis fundamentis, e medio sublatis, quae amplius esse potest naturalis morum doctrina? 4. Ex his vero praecipuis et potissimis totius philosophiae veritatibus suicidium plane rejicitur. Homines enim vero Dei providentis creaturae, anima immortali praediti, in hoc mundo positi vivimus, ad meliorem vitam destinati, ut medio nostrarum actionum merito assequamur in futura vita felicitatem. Quorsum enim animae nostrae immortalitas, actionum libertas, et imputatio, vita futura, et divina tandem erga nos Providentia? Mundus quo fruimur, nostramet existentia, et datum nobis a Deo vivendi spatium, nostra proprie non sunt, sed Dei opera: in quibus aliquid immutare, destruere, pervertere creaturae non liceat. En Providentiae erga nos systema, quod sane inverteret suicidium: cum datum tibi a Deo vivendi, agendi, merendi spatium proprio nomine contraheres. Quis autem sanae mentis dixerit, licere homini aeterna Dei consilia, et providentiam immutare? Tamdiu igitur nobis vivendum, agendum, merendum, quamdiu nostraemet vires et temperamentum ferant. Haec enim sunt naturae ipsius, hoc est, divinae voluntatis manifestatio. 5. Deus scilicet unus est, qui et nostrimet esse sit summus Dominus, vitae nostrae limites sciat, quando munus nostrum expleamus, quando in mundum ingredi, e mundo egredi debeamus agnoscat, et judex esse possit.

Sequentia pro suicidio opponit Rousseau (*a*): U-

(*a*) Heloise P. 4. lettre 4.

nicuique nostrum per jus naturae licet bonum proprium quaerere, malumque fugere, dummodo nemini noceatur: cum ergo vita sit tibi quidem molesta, et intolerabile fere malum, nullique praeterea sit bonum; quare ab illa liberari non licebit? Respondeo, in casu suicidii non essesne tu judex, accusator, reus, carnifex? Eane vero munera agere insimul, naturali jure non prohibetur? Hac una ratione diluuntur quisquiliae omnes pro suicidio adductae. Unde etiam vitam, quam tibi molestissimam dicis, purum aut intolerabile malum tibi esse probas, nullique bonum? Dum in vivis agimus, etsi doloribus et calamitatibus oppressi, bene mereri, et patrata olim scelera reparare possumus, ipsamet malorum patientia, animi constantia, humilique nostrae voluntatis in Dei consilia consensione. Is vero status, ea animi patientia, constantia, resignatio, moralia sunt bona tibi quidem ad meritum, aliis vero ad exemplum, physico incommodo longe praeferenda. Scisne praeterea quae te sors manet post mortem, quacum praesentem vitam, merendi statum, et bonum commutes? Bonum ergo certum cum eo statu commutas ignarus judex, in quo nulla boni spes affulget.

Vitam, pergit Rousseau, dono habemus, nosque in hoc mundo posuit Deus, tamquam in civitate, aut republica cives: dona autem respuere, et civitatis juribus renuntiare libere possumus. Respondeo; ex parum exactis comparationibus poesi potius, et eloquentiae fuco, quam philosophiae, nudae scilicet veritatis amori, inservientibus, nihil in quaestione gravissima statui, et argumentari posse. Unde habes, quod vita sit ejusdem rationis donum, atque humana, quae et non accipere, et accepta abdicare ad arbitrium possumus? vitam ne tibi a Deo oblatam liber accepisti? Purum quidem beneficium

non fuit vitam non accipere, ita et acceptam abdicare, nostrum pariter non est arbitrium. Principii et finis in re praesenti eadem est conditio. Minus etiam ad rem est altera illa comparatio de cive et civitate desumpta, quae omni ex parte peccat. 1. Neque universim societatum civibus licet juribus civitatis ad arbitrium renuntiare. Rem videas in Japoniae, et Sinarum imperiis, aliisque humanis Societatibus, quarum fines ingredi, aut deserere per leges non licet. Quot praeterea sunt humanae Societates, quarum cives glebae semper addicti, nullam habent e finibus egrediendi libertatem? En nostram hominum conditionem: qui cum supremi conditoris toti simus servitutem natura ipsa accepimus, in qua proinde nascimur, vivimus, morimur. At datum mihi a Deo brachium ad vitam servandam, ad majus scilicet bonum, rescindere possum: quidni pariter de toto corpore, de vita praesenti philosophabimur? Ita agere licet, cum et periti judicis, Medici, aut Chirurgi sententia agis, et certum malum cum bono, aut prudenti servandae vitae spe commutas. Contraria omnia in re nostra evenire, satis hucusque demonstratum.

Vox naturae esse videtur, prosequitur, illinc discedendum, ubi malo res nostrae vertunt: praecipue vero si nulla melioris fortunae affulgeat spes. Illud praeterea hominis calamitatibus oppressi moriendi desiderium a natura esse videtur, hoc est, a Deo naturae auctore. Respondeo, haec et similes aliae quisquiliae ex superioribus solvuntur. Ubi malum verum, et certum cum bono vero etiam, et certo mutari potest, atque mali et boni, et mutationis ratio ejus sententia constet, qui Judex, accusator, reus, carnifex insimul non existat; tum sane mutationem voce naturae, seu potius ratione suaderi admittam.

Ubi haec omnia desint, desunt vero in suicidio, quid naturam pro fatuo homine defendendo advocare in patrocinium? Si humana desideria vocem naturae nuncupes; nescies sane, quanam illa loquatur lingua: aut potius naturae linguam confusionem Babelicam numero, et contrarietate superare animadvertes. Nullaque essent scelera, quae et argumento et naturae voce non probarentur sancta.

Hominis dominio in suam ipsius vitam rejecto, assertoque propterea ejusdem vitae conservandae munere, a natura nobis indito, naturalique ratione manifestato, ad primi hujusce officii appendices, ad officia eidem affinia aut ex communi principio derivantia, parique modo hominem obligantia, exponendum, argumenti ratione deducimur. Haec autem, ut diximus, corpus, mentem, animum respiciunt: hoc est, physica sunt, rationalia, aut moralia.

§. XVI.

Officia hominis erga se ipsum physica, et rationalia.

Physica officia dico, quae physicum hominis statum, et vitam respiciunt; *rationalia*, quae mentem; *moralia*, quae voluntatem, seu animum, hoc est, mores, virtutes, et vitia complectuntur.

1. Quandoquidem vivere est primum hominis bonum, et necessarium caeterorum naturalium bonorum fundamentum; omnesque instinctu, innato amore, et naturae officio vitam amant, servareque desiderant, et naturali lege tenentur; media necessaria et justa ad vitae conservationem juxta rationis dictamina quaerere, alterum est naturale hominis officium ex primo derivans. Justa, inquam, neque enim modis per se malis et rigoroso aliorum hominum juri contrariis, vitam propriam servare tene-

mur, aut possumus. Si servandae vitae modi tantum suppeterent injusti, naturaeque lege vetiti, qualis esset blasphemia in Deum, mendacium, religionem abnegare, et alia similia; tum vero cessat vitae servandae officium: vitaeque potius bonum renuntiandum, quam malorum patratione servandum. Quaenam vero sint media ad vitam servandam necessaria; quibus etiam modis ea quaerere liceat, et oporteat, non immoror: ne in quaestiones juris naturae, et socialis deducti, a praescriptis Ethicae limitibus longe abducamur. Id unum animadvertere impraesentiarum sufficiat, aliam plane esse status naturalis, atque socialis rationem, quod praesens argumentum attinet. Plura in primo justa, in secundo prohibentur.

II. Alterum officium est, ab iis temperare vitiis, et passionibus, quae sanitati officiunt, viresque, et vitam enervant. Haec enim duo physica mala, praeter moralia, a passionibus derivantur; cum laxato fraeno, citraque rationis moderamen, iis saepe succumbimus, violentoque illarum impetu abripimur. Facile esset, physicum hoc argumentum ratione, et exemplis luculenter demonstrare, sed moralem Philosophum, non physicum agimus. Solidorum, fluidorumque aequilibrio constat et confirmatur sanitas, longiusque producitur vita; sublato aequilibrio contrahenda, et enervanda.

Quodnam autem in passionibus aequilibrium? Physicam earum naturam, et modum ignorare opus esset, ut violentas humorum alterationes, et tumultus in passionibus universim non agnosceremus. Quaenam passim ab immoderata ira, libidine, gula, aliisque passionibus non producuntur mala, diuturnae aegritudines, et repentinae saepe mortes? Adeo verum est, quod hic de passionibus indicamus potius, quam disserimus, ut continuatum earum mo-

deramen, communi Medicorum sententia, lapis quidam philosophicus, et diuturnae vitae indicium, et regula habeatur. Sed a physica, et corpore, ad logicam, et mentem convertamur.

III. Quod animam spectat, praecipuam, et potissimam humanitatis partem, primum officium esse debet mentem colere, ignorantiam depellere, multiplicibus rerum ideis adornare, earumque rerum cognitionem, et scientiam comparare, quae statui, conditioni, mentis indoli, et capacitati conveniunt. Multa hic comprehendimus fusiori oratione distinguenda, atque explicanda. Primo quidem muneris nostri esse dico, mentem colere, instrui, scientiam comparare: sibique et officio deesse, qui haec negligenter transmittat. Rem demonstrat ipsamet humanae naturae conditio, instinctus principium, media, finis. Cum animantia cogitantia a Deo comparati simus, mensque humana per se se vivax, et activa, innato quodam sciendi instinctu, et desiderio praedita, praecipua sit humanae naturae pars, qua agere, perfici, communemque finem assequi valeamus; hancne cogitandi vim, et energiam, potissimam hominis facultatem, et ornamentum, tum instinctum et naturale desiderium nobis donaverit Deus, ut inerti otio languesceret? Ad quid enim vero activa illa cogitandi facultas, illud sciendi desiderium? Idne esset Dei sapientia, et providentia dignum? Dei, inquam, qui nihil inutile, aut otiosum in mundo ponit, rerum omnium fines statuit, et ad finem assequendum apta media constituit?

Noster hominum finis est Deus, atque naturalis Beatitudo, necessaria ad eum finem obtinendum media, via, et ratio sunt officia omnia hominis Deum, se ipsum, aliosque homines respicientia, quae multiplicium rerum, et veritatum cognitionem secum ferunt. Haecne vero ab homine observari, quin illa

habeat perspecta? Esse vero perspectam infinitam fere agnoscendarum rerum copiam, quin mentem tot non ignorandis veritatibus informemus? Sed cum vita ipsa physica necessarium sit ad moralem vitam fundamentum, et conditio, naturali lege et officio servanda; quanta etiam ad vitae circulum absolvendum opus sunt, quae ignorare homini cogitanti, libero, non licet?

2. Illorum maxime scientiam comparandam esse dico, quae statui, conditioni, mentis indoli, atque capacitati conveniunt. Ad haec rite statuendum, distinguendi sunt quatuor sciendarum rerum ordines, possibilia, utilia, necessaria, et puraę curiositatis objecta. Quicumque sit hominis status, conditio, mentis indoles, atque capacitas; officii nostri est; 1. rebus tantum in se se, aut captui nostro possibilibus operam dare. Ad impossibile enim nulla tenemur lege. 2. In omnibus universim scientiis et artibus sciendis aut ignorandis, necessaria utilibus, utilia puraę curiositatis objectis praeferre. In hisce confirmandis immorari, citra lectoris injuriam non possumus: adeo per se se sunt manifesta, ut sola eorum propositione demonstrentur. Status et conditio sociali vivendi modo potissimum conveniunt; a quo uno fere tantum inducta est diversitas, atque multiplicitas conditionum, et statuum, quibus hominum ordines inter se se in societatibus distinguuntur. Indoles et capacitas cum naturali tum sociali statui conveniunt. Officia idcirco ex conditione et statu fluentia, atque hominibus ex conditionis, statusve ratione convenientia, juris naturalis hypothetici pars sunt.

Plurima tamen sunt quae omnium conditionum, ordinum, et statuum hominibus ignorare non licet; eaque propterea ediscere, officium est omnibus hominibus ratione praeditis commune. Inter haec primum habent locum, quae religionem, legem natu-

ralem, et mores spectant. Ut spiritus praestat corpori, et animae ornamenta, atque virtutes, physicas corporum dotes longe praecellunt, ita et officia officiis, rationabilia, spiritualia, moralia animalibus, sensibilibus, corporeis, sin minus tempore, dignitate tamen, et merito, priora esse debent. Naturae argumento, ab imperfectioribus ad perfectiora gradatim procedentis, puerilibusque crepundiis ad virilia, et rationabilia praeludentis, res ipsa demonstratur. Priores vitae annos in vitalibus, animalibusque functionibus agendis, fruendis transactos, maturior paullatim subsequitur aetas, sensui ratio, crepundiis seria, et gravia succedunt. Tum vero, ratione penitus jam explicata, et confirmata, atque inanes primae aetatis curas miserenti, et fere dedignante, homines tandem nos esse serio animadvertimus. Alia objecta, alius mundus, alia officia explicantur. Quid tandem rei simus, unde, quonam, qua via incedendum, saepe mentem subit; quaeritur, statuitur quid agendum, quid omittendum, quid etiam studiose vitandum. Quid rei sint passiones indole sua vitiosae, quo tendant, in quas tandem syrtes deducant, proprio aut alieno periculo edocemur. Quid etiam rei sint morales virtutes, quo ipsae nos deducant, a quot periculis earum exercitio liberemur, nobiscum soli agentes statuimus. Hoc examine facto, tenenda cognoscitur via, et = *felix, quem faciunt aliena pericula cautum* =.

Haec igitur rationabilia, et moralia etiam officia, doctrina, et praecepta educationis nostrae praecipua pars esse debent; atque a primis annis actione, voce, exemplo tenellis animis instillari. At ita fiet, ut etsi, quid illis tradatur, per totam pueritiam, et primis etiam pubertatis annis non satis intelligant, cum tamen, *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu*, acceptam educationem tenerae memo-

ria profunde insculptam, quoad vivent, nunquam obliviscentur. Inde igitur fiet, ut explicata jam ratio, cogitandi virtute, et usu confirmata, antiquas opes memoriae archivo servatas per otium saepissime revisens, utili tandem foenore collocabit: male olim intellecta dogmata, praecepta, officia luce meridiana perspiciet; quidque religiosi ritus significent, proprio usu conservati, majorumque exemplo, et suasione confirmati. Tenella arbor, faciendis fructibus adhuc immatura, jam tamen inde a germine bene culta, atque in bonam partem flexa, coloni spei respondebit, illius industriam, et laborem compensabit: non responsura, si sibi olim relicta, nullaque cultura adhibita, tum solum de illa colenda, transerenda, potanda, atque flectenda cogitaret, cum induratis jam fibris, trunco, ramis, agricultoris manum non amplius sequitur.

IV. Praejudicia mentis, et animi, intellectualia scilicet, moralia, gentilia, et cujuscumque generis alia, serio expendere, deponere, et ad rationis examen adducere: alterum est hominum erga se ipsos officium. Falsas hominum opiniones, animique dictamina, citra, seu ante judiciam hausta, absque prudentia et ratione conservata, atque in humanas actiones plurimum saepe facientia, praejudicia vulgo nuncupamus. Communissimum est hominum vitium imprudenti praecipitantia de rebus ante examen haurire, amplecti, et proferre sententiam. Plurima hujusmodi cum mentis, tum animi dictamina a veritate, atque rectitudine aliena, educatione hausimus, plurima a natione, patria, milleque aliis fontibus derivamus, multa etiam nostramet mentis animique indole, et vitio comparamus. Juxta opinionem, aut dictamen imprudenter haustum, conceptum, aut prolatam sententiam, deinceps opinatur, agitur, vivitur. Haec fere sunt per totam vitam nostrarum fe-

re omnium opinionum, atque actionum fundamenta et regulae. Quae nostra, quaeque aliena sunt, quae amicorum, inimicorumque negotia spectant, praejudicio fere semper judicamus. Quanta hinc, qualiaque errata, iniqua, injusta non consequuntur? Cum in civili societate locum fere tantum habeant multiplices praejudiciorum fontes; socialis etiam status, nationibus jam fere omnibus communis, propria sunt praejudicia, malaque omnia a praejudiciis consequentia. Sed haec de praejudiciis impraesentiarum attigisse satis. Caetera enim, quae multa sunt ad idem argumentum spectantia, fuse in logicis dedimus, in philosophia morum praetermittenda.

Quod si haec de officiis rationem, seu mentis culturam spectantibus, rerumque doctrinam, et scientiam complectentibus vera sunt; potiori jure sacra nobis esse debent moralia officia, quae ad animum, moresque informandos referuntur; quod longe praestat esse honestum, quam esse doctum; doctrinaque rerum voluntatem, moresque praecedens, post honestatem longe sequatur. Nostra igitur maxime interest moralia hominis erga se ipsum officia mente capere, ut voluntate, et actione compleantur.

§. XVII.

Moralia hominis erga se ipsum officia.

Potissima nostri erga nos ipsos officia hominem moralem spectant, animum, humanasque actiones et mores respiciunt: passiones igitur, virtutes, et vitia complectuntur: quibus fere consistit homo moralis. Primum morale hominis officium erga se ipsum passiones generatim respicit, a quibus aliqua in mores honestas, aut turpitudo derivari potest. Quid rei sint humanae passiones; quosnam in nobis excitent violentos affectuum tumultus, et

turbines , mentem saepe obtenebrantes , nosque ut plurimum ad vitanda tacenda trahentes , superius exposuimus . Infinita fere bona , honesta , utilia , necessaria passionibus debemus , quas ratio illuminat , compescit , et dirigit. Infinita etiam sunt mala corpus , mentem , moresque spectantia , ab effroenibus, violentisque passionibus derivantia . Hujusce veritatis unusquisque hominum sibi ipsi est testis et doctor . In quocumque statu , naturae , aut societatis vivas , aut te vivere cogites , tecum quaquaversum circum feres infectum hoc moralis vitae vitiosum germen , semper repullulans, nisi sollicita agricultoris manus , prudenti rationis dictamine , identidem amputet , explicari , et luxuriari compescat . Ita sane fiet , ut passionum vivacitati praeeunte , et praeside semper ratione, innata haec magnarum actionum, virtutum , vitiorumque germina non nisi bonos producant fructus . Et haec quidem generatim dicta sint , ut hominis officium circa omnes universim passiones intelligatur . De communi enim passionum natura et origine satis jam disputavimus : peculiares singularum characteres atque effectus ex ulteriori argumenti , de quo agimus , aliorumque hominis officiorum explicatione intelligentur .

Inter moralium officiorum objecta , passiones scilicet , virtutes , vitia , alia Deum , alia se ipsum , alia ceteros homines , et civilem societatem respiciunt . Secundus officiorum ordo , de quibus modo agimus , virtutes illas , et vitia complectitur , quae hominem , ut homo est , et in quocumque statu existat , semper obligant , ornant , aut deturpant : in ipsoque propterea praecipue saltem sistunt : dum alia officia ad caeteros homines , et civilem societatem potissimum , et necessario referuntut : eaque , ut fieri potest , dissoluta , non amplius obligarent . Justitiaene v. g., aequitati , beneficentiae , misericordiae

locus esset, si homines non haberemus, quibuscum aequitas, justitia, beneficentia exerceri posset, eorumque vinculis teneremur? Necessario existit Deus, cessareque nunquam possunt moralia hominis erga ipsum officia. Sed neque haec in homine sistunt: ad aeternum et beneficum nostri principium, finem, auctorem, legislatorem necessario referuntur. Dei enim, et a Deo necessario semper sumus: ad Deum toti esse debemus: generale igitur omnium hominum, quocumque statu vivant, morale officium est; eas comparare, et colere virtutes, easque cohibere passiones, et extirpare vitia, quae hominem, ut homo est, ornant, perficiunt, aut deturpant, decent, aut dedecent. Homo in Societate vivens, et hominis, et religiosi, et civis muneribus fungitur, et officiis tenetur. Officia civis alia sunt mixta, quae et se ipsum, et societatem, alia vero pura, quae solam societatem respiciunt.

Sed generale officium objecta plurima complectens explicatius evolvamus, singularia morum praecepta in illo comprehensa naturali ordine, et ratione deducentes. Quaenam igitur peculiares virtutes generali hoc officio, praescribuntur; quaenam vetantur vitia? Naturae ordini, duce ratione, insistamus. Prima naturae Lex, et instinctus, est, nutriri, vivere, alimenta quaerere: post nutritionem, explicatum, et confirmatum jam corpus, ad speciei propagationem naturae stimulo et instinctu ducuntur non modo homines, sed et universa animantia: cum naturalium hujusmodi appetituum objecta negantur, aut magnopere impediuntur, interna tum animi tranquillitate amissa, sponte irascimur. Hisce appetitibus, quibus se ipsum tantummodo quaerit, et prosequitur homo, aut ratione semper duce, et consiliaria secundum rectum naturae ordinem, et finem volumus, et agimus, aut praetermisso rationis

dictamine morem gerimus et agimus. Si priori modo agimus, agere vero officio tenemur, tum vero temperantia, castitate, mansuetudine, frugalitate, et parsimonia commendabimur. Posteriori modo viventem contraria deturpant vitia, intemperantia, luxuria, seu incontinentia, iracundia, prodigalitas. Haec vitia fugere, virtutes illas comparare, atque secundum easdem vivere, hominis, ut homo est, officium existit. Quid rei sint comparandae hujusmodi virtutes, quid etiam vitanda illa vitia, exponendum superest.

§. XVIII.

Temperantia, et Continentia: et opposita vitia.

Quonam violento passionum, et affectuum vortice fere semper volvamur, quali oppositorum saepe desideriorum vivacitate accensi cruciemur, quonam etiam sensu in multiplicia objecta quaerenda, vitanda excitemur, conscii nobis sumus omnes universim homines. Hujusmodi igitur desideriorum excessus a natura non datos, hanc sensuum, passionumque vivacitatem temperare, et semper moderari, illa est, et dicitur generalis *temperantia*, et continentia, digna adeo, rara tamen, in homine cogitante moralis virtus, ut maximum inde sit inter hominem, et bestias discrimen. Physico tantum sensu agi, bestiarum est; hominis vero physico-rationali duci. Eoque magis homines dedecet, inconsultis appetitibus agere, quod illorum passiones, et desideria sint plerumque factitia, neque ex naturae necessitate, sed ex superfluitate deriventur; suppetatque semper ratio, data illa nobis a natura agendi regula, et desiderandi consiliatrix. Quot enim, et quantis ad humanam vitam honeste, suaviterque ducendum non indigemus, quae ex arbitrario

solum vivendi usu necessaria esse existimantur! Quantum praeterea laboris, et poenarum ad artificiales hujusmodi voluptates inveniendum comparandum, fruendum: quibus tandem dum perenni sollicitudine partis fruimur, voluptatis inania, curarum plena, a virtute, et vera felicitate aliena deprehendimus! Sapiens igitur, aequus scilicet rerum aestimator, quod commune omnium hominum officium est, rebus ad vitam honeste, decenterque transigendam necessariis contentus, quae ad hunc naturalem finem sunt superflua, laboriosa, virtutis, et voluptatis vacua dedignatur. Haec vero omnia, ex physica hominum constitutione, et objectorum nos circumdantium actionibus ducta origine, nostra dein libertate, et ipsomet voluptatum sensu augentur, intenduntur, et in vitiosas evadunt infinitorum malorum scaturigines. Sentiendi enim usu intenditur sensus; desiderium secum trahit, in passionem degenerans. Haec igitur physicae moralisque vitae principia, qualitates, aut actiones, origine quidem bonae, et dum ratione, usu, modoque agunt, utiles, honestae, necessariae, si praeter rationem, naturaeque modum in abusum, et excessum degenerent, fiunt, et secum trahunt omnia humana vitia.

Strictiori sensu accepta *temperantia* est: *constans corporalium appetituum moderatio*. Circa cibi et potus usum et abusum, libidine etiam non exclusa, potissimum versatur; eumque in hisce sensuum functionibus modum praescribit ab oppositis extremis aeque remotum. Haec tria sunt, in quae ardentius feratur humana natura, aegreque ferat in hisce prosequendis modum sibi ac fraenum a ratione opponi. Utrovis sensu usurpetur *Temperantia*, argumentis ex Physica, ratione, et honestate desumptis, et demonstratur, et satis nunquam laudabitur. Temperantiam commendat Physica, ratio, mores: et op-

positam intemperantiam reprobant. Antiquum illud = venter homini, non autem homo ventri inserviat =, dictavit semper ratio, surdis auribus saepissime loquuta. Membranarum ventris gastricae virtutes, mechanico attritu, aut caloris, acidive ratione agentes, moderato cibo, potuique atterendis, fermentandis, digerendis aptae, copiosioribus impares, indigestam massam per pylorum emittunt, vitiosum chylum facturam, plurimarum aegritudinum originem, longum aliquando post tempus explicandam. Hoc sane modo longioris feliciorisque vitae loco, ab intemperantibus manducando, et bibendo studiose quaesitae, stadium semper contrahitur: unde illud natum est, paradoxi speciem referens: *qui plus manducat, minus manducat*. Haec apud te statue, fames, et sitis sunt petentis naturae voces: naturae igitur loquenti responde; tacenti vero tace, et cessa. Illud semper mente habendum: = ne quid nimis. = Rationem vero et mores temperantiae esse amicos, intemperantiae semper opponi, tu tibi doctor esse potes, et experimentum. Post largas ventris repletiones, cibo, et vino lente fermentantibus, mens humana vino fere naufraga, si ita loqui fas est, ventris onere etiam pressa, sublimia cogitare incapax, spiritualium functionum munere et exercitio saepe amisso, animalibus functionibus inservire, aut cedere cogitur, morum corruptelam post se fere semper trahentibus.

Virtuti Temperantiae opponitur vitiosa *Intemperantia*, duplici etiam sensu pariter accepta: eademque, atque Temperantia, respiciens objecta: generatim et latissime usurpata est, *habitualis sensuum immoderatio*, seu appetitionum sensus immoderatus usus. Qui desideriorum aculeis, passionum vivacitati modum praescribere, et fraenum ponere nescit, aut negligit; sed sensuum oblectamentis impense indulget, intemperans merito audit, vitiosaque sen-

suum indulgentia et usu stabulis digno, a cogitante homine alieno, in rationem, et officium peccat. Quod si Intemperantiam, ut fieri solet, ad vulgarem, magisque propriam nominis significationem contrahamus; recte illam definies, *immoderata edendi, aut bibendi consuetudo.*

Propria hac communissimi vitii notione non modo notatur rei quantitas, atque frequentia; sed etiam modus, atque studiosus deliciarum amor. Æque in Temperantiam peccatur, si nimis, si pluries, si exquisitius, quam postulet natura, et probet ratio, serviatur ventri. Non vivere ventri, sed ventrem vitae, moribus, virtuti submittere, et tamquam medium ad postrema haec assequendum adhibere, non modo sapientis, sed omnium hominum officium est.

Temperantia, et Intemperantia, virtus et vitium sibi mutuo opposita, in partes dividuntur hinc inde respondentes, et respondentibus contrarias. Strictiori sensu usurpatis, Temperantiae partes *frugalitas*, atque *sobrietas*: Intemperantiae vero *gula*, edendi, bibendique intemperantiam complectens. Latius vero acceptis, prima secum defert castitatem, et mansuetudinem: secunda luxuriam, et iram.

§. XIX.

Sobrietas, frugalitas, vitiaque iis virtutibus opposita.

Sobrietatis nomine intelligitur *rationabilis moderatio gustus*. Cibum igitur, et potum respicit, atque circa utriusque quantitatem, modum, atque delectum versatur. Sobrietas inter nimiam corporis macerationem, et aviditatem, seu nimium mensae amorem, duo vitiosa extrema, intercedit utrique opposita. Nimiae macerationis nomine illam intelli-

gimus, vitiisque annumeramus, qua subtractis corpori alimentis, contrahitur etiam vivendi terminus, aut ita franguntur vires, ut ad vitae munia exercenda aptum amplius non existat. Primum esset suicidio reum fieri. Secundum vero in datae nobis a Deo vitae conditionem, finem, et naturae intentionem peccare. Vita enim e nostro arbitrio nequaquam pendens, non modo est agere, sed ad agendum etiam, quoad vivimus a communi rerum auctore concessa.

A vitiosa hujusmodi tormenti conditione toto coelo distat laudabilis alia corporis maceratio, qua salvis alioquin vivendi periodo, viribusque ad vivendum, et agendum necessariis, luxurianti naturae physicum subtrahitur pabulum, atque fundamentum; passionumque activitas, ab otio, et mensis admodum derivans, sensim languescit. Atque haec illa est laudabilis, corporum maceratio communi experientia, naturali ratione, plurium etiam Philosophorum exemplo, et quod princeps caput est, Christi Domini doctrina commendata, atque praescripta. Hac humanum corpus tractandi ratione tot homines, Christianam legem, et consilia scrupulose observantes, ad eum innocuae vitae, morumque honestatis, virtutumque apicem pervenerunt, ut non modo nobis tamquam morum exemplaria proponantur, sed ipsi etiam vivendi miracula extiterint.

Extremum alterum sobrietati oppositum, et communi gulae nomine nuncupatum, duo complectitur vitia sibi mutuo affinia, studiosam scilicet *ciborum aviditatem, et ebrietatem*. Primum est *immoderatus ciborum amor:* Secundum vero *immoderatus vini, caeterorumve liquorum amor, aut consuetudo*. Duo haec vitia, plus aequo inter homines communia, eo magis rationalia viventia dedecent, quod irrationalibus non modo aequiparent, sed ulterius e-

tiam deprimant. Ad satietatem usque edere, et bibere, brutis animantibus solemne est : etsi ventri tantummodo vivant, ab omni rationis, et morum provincia aliena. Delicatiores, peregrinosque cibos fere tantum cogitare, et studiose quaerere, stomachum potius onerare, quam reficere, plusque alimentorum, aut pluries sumere, quam natura ipsa postulet, et digerendi facultas ferat, atque ut diutius, pluriesque palati sensu delectetur, stomachum acuere, et irritare, et artificialem famem, atque naturam quaerere, si ita loqui fas est, id, inquam, hominis tantum est ratione ipsa, et ingenio brutescentis: et quod vitiorum remedium esse deberet, ad studiosius peccandum abutentis. Quantum enim vero in re nostra fallimur homines, post felicitatis phantasma imprudenter ducti! Hac vivendi ratione ex amore sui inconsulto orta, officio desumus, et veram quam quaerimus felicitatem amittimus. Ita agendo, natura potius obruitur, quam adjuvetur; naturae vires, et innati, ut ita dicam, elateres latenter ut plurimum infringuntur, plurimisque comparatis malorum seminibus, contrahitur humana vita, periculoque nostro comprobamus paradoxum illud, verum aeque atque familiare, *qui magis manducat, et bibit, minus manducat, et bibit*. Quidquod inverso rerum ordine, finem in media, et vicissim convertimus : vita ventri, ratio sensibus inservit; cum sensus ad rationem, venter ad vivendum debeant esse media, minori studio quaerenda. Quantam praeterea ex nimio ciborum, bibendique usu, foveantur, excitenturque humanae passiones, aeterni illi rationis et morum hostes, tibi ipsi argumentum, testis, et Judex esto. Hoc esse videtur inter ventrem et rationem naturale foedus, ut nimia unius actio alterius otium ferat : ventre nimium agente, otietur fere ratio, et moralis honestas.

Quod ebrietatem, nimium inebriantium liquorum abusum attinet, longa oratione non indiget. Quid enim multa ad rem physicae corporis saluti, vitae diuturnitati, rationis usui, morum honestati, periculosam, atque noxiam dissuadendum? Haec scilicet omnia ex abusu illo per se se consequi, experientia, officiis esse contraria, demonstrat ratio. Qui enim vero ebrii hominis esse possunt mores, quodnam passionum moderamen, dum ipsomet liquorum abusu novus quaeritur, et inducitur passionum fomes, et excitamentum; interimque ratio, naturale passionum moderamen, liquoribus immersa, et naufraga, si ita loqui fas est, clavum amplius non tenet, aut identidem amittit? Sanitatem etiam, et vivendi energiam, et elateres liquorum abusu latenter labefactari, facile ex physiologia conficeremus, nisi rem omnium experientia, et confessione notam demonstrare superfluueret.

Frugalitas cum sobrietate convenit, eadem respicit objecta, iisdem opponitur vitiis; latiori tamen sensu accepta longius extenditur, et plura objecta comprehendit, aut excludit. Neque enim solum gustus sensum moderatur, ejusque objecta, et modum dirigit; sed alia etiam hominis desideria, mores, et vivendi rationem, nominatim vero varios divitiarum usus complectitur. Frugalitas latiori hoc atque proprio sensu usurpata, definiri potest *rationabilis morum, vivendique simplicitas, et moderatio*. Frugalem enim vero dicimus, qui mensae, dapumque incuriosus, pretiosas etiam vestes caeterosque divitiarum fastus, et splendorem parvi faciens, passiones humanum animum ad haec et similia alia desiderandum, et prosequendum excitantes moderate sentit, aut studiose coercet. Brevis illa Poetae sententia, *vivitur parvo bene*, hujus virtutis fundamentum est, scopus, et stemma. Eum propterea quasi ex Lydio

lapide frugalem dignosces, qui divitiarum splendore, caeterisque et sensuum, et humanae ambitionis objectis, vividis scilicet desideriorum, passionumque irritamentis, sibi data opera ad desideria excitandum studiose monstratis, nihilo tamen hisce commotus id unum reponat, *quantis non indigeo?*

Hominem ita natura, et ratione comparatum, plurimarum virtutum complexione, fundamento, et custodia ornatum merito dices, quae serenato vividiorum passionum furore, ad Stoicam animi tranquillitatem, et quemdam Olympum deducit; unde furiantes tempestates, et turbines eminus e sereno caelo despicit. Natura, et ratione dixi, ut duo indicarem frugalitatis principia, physicum, et morale. Ex temperamento quidem physicus est humorum torpor, atque obtusa sensibilitas, quam aegre etiam excitant objecta acutius, profundiusque ferientia. Hominem eo tantum frugalitatis principio praeditum, inertem dices, nequaquam vero frugalem, aeque ut plurimum a vitio, atque a virtute alienum. Accedat temperamento ratio, honestatis amore ducta: tum vero animus antea solummodo iners, atque vitii expers morali virtute commendabitur. Quod si temperamento in vitium trahente, in extremum oppositum retrahat ratio, et una secum agere compellat physicas corporis vires; tum vero hujus virtutis nomine, re, et merito commendabitur.

Cum mensae et divitiarum rationabilis moderatio medium sit inter excessum, et defectum, duplicique modo ab illa recedatur; frugalitas, inter duo hujusmodi extrema, Avaritiam, et Prodigalitatem, intercedit, utrique pariter opposita. Moderationem aeque tollit nullus atque immoderatus rerum usus. In haec igitur vitiosa extrema descendamus. Ut Avaritiam definiamus, quid divitiae, quid et quotuplex earum usus existat, relativum scilicet et naturale hujus vi-

tii objectum, praemittere oportet. Primo quidem divitiarum nomine materialia, bona universim intelligimus ad hominis, aut reipublicae conservationem, et felicitatem facientia: definirique possunt *materialium bonorum superfluitas*, seu *bonorum copia major, quam prudenti oeconomiae opus sit*. A vero *prudentis oeconomiae* sensu definitionis sensus pendet, quae pro varietate temporum, locorum, nationum, diverso civium gradu, diversam indicare potest bonorum mensuram. Bona, sicut et passiones, desideria, vivendi modi, et necessitudines, alia sunt naturalia, ex propria scilicet natura, atque per se se bona, ad quemcumque hominis statum referantur; hujusmodique imprimis sunt, *quibus dolet natura negatis*: alia vero factitia, quae non ex hominis natura, sed ex statu societatis, atque peculiari in eo statu vivendi modo consequuntur. Rursus, cum in generali factitiae societatis statu, alii et alii sint peculiares hominum ordines, et conditiones, quae ex humanis etiam conventionibus, et consuetudinibus in legem transmutatis, honore, gloria, bonorum numero inter se distinguuntur; in diversis hisce statibus, et conditionibus eadem esse non potest hominum necessitudo, atque superfluitas rerum. Hominem, aut familiam in statu naturae extra civiles societates venatione, piscatu, aut ex vegetantium fructibus viventem, cum eo confer, qui politicae societatis civis in magna aliqua civitate splendide vivat. Quodnam enim vero et quantum hominis ab homine, status, rerumque discrimen? Quaenam inter nostrorum Regum palatia, vestes, urbesque principes, atque Brasiliani Tapujae vegetantes casulas, nuditatem, solitudines, distantia? Quidquid civem ab homine, illorumque status, et vivendi modum distinguit, factitium est. Homini naturae, primitivique ejus status simplicitati paucissima suffi-

ciunt, et opus sunt: caetera omnia superfluunt, nihilque de earum usu, et possessione curat. Contra vero in statu societatis plura quidem ex factitio vivendi modo opus sunt, superfluunt tamen plurima, superfluit etiam necessariarum alioquin rerum copia, magnitudo, abusus, atque frequentia.

§. XX.

Idem prosequitur argumentum.

Ex hujus doctrinae expositione, quid rei sint divitiae, quis, qualisve hominum, aut civium dives existat, quid aurea fortunae mediocritas, pauperies, aut summa egestas, nullo negotio intelligitur; quin in iis admodum immoremur. Cui ad vitam in statu suo servandum superfluunt bona, *divitem*, ea desiderantem nuncupamus *pauperem*. Si neque superfluant, neque desiderentur necessaria alioquin ad vivendum bona, ea erit, et merito dicetur *aurea mediocritas*: quae animi passionumque moderatione accedente, divitiis quibuscumque est praeferenda, et naturalis felicitatis pars maxima existit: ut fusius infra disputabitur. Infra mediocritatem multiplex est paupertatis gradus ad extremam usque egestatem, in qua omnia desunt necessaria: supra vero crescentium semper divitiarum gradatio, cui vix ullum statuunt terminum humana desideria. Naturales divitiae hominis, et factitiae civis inter se conferri possunt: paucis adeo in naturali statu contenti plerumque vivunt homines, dum factitiae civilium societatum consuetudines infinita fere efficiant necessaria, homini naturae penitus ignota.

Divitiae vel ita amantur, et comparantur, ut citra usum serventur; vel ut eas in tui, aut aliorum gratiam expendas: id vero aut ratione dictante, aut citra rationem agimus. Primum est *avaritia*, se-

cundum *oeconomia*, aut *liberalitas*: tertium tandem *prodigalitas*. Avaritia igitur est *tenacitas divitiarum*, seu *tenax habendi amor*. *Habendi*, inquam, bona etenim potius possidere, et servare amat avarus, quam iisdem frui, atque in suos usus convertere. Praesens rerum possessio, speratque earum fruitio unum est avaritiae objectum, atque avari hominis scopus, et oblectamentum. Idque propterea est inter avaritiam, prodigalitatem, et oeconomiam discrimen, quod avarus futurum, prodigus praesens, oeconomus utrumque respiciat; ideoque avarus servat, oeconomus, et liberalis utitur, prodigus abutitur. Inconsultus sui amor, incertam potius in futurum, quam certam in praesenti necessitudinem prospiciens, prioremque illam posteriori praeferens, de futuro semper sollicitus, timens, et imprudenter cautus, avaritiam, sordidosque illius effectus animo et mente generat. Merito igitur hujusmodi vitium illorum esse dicitur, qui corpore, mente, animo, aut omnibus insimul parum valent. Divitias enim ad usum datas, usui, praesentique necessitati praeferre, atque subtrahere; divitias, inquam, propter divitias amare, rerumque ordine commutato, transmisso fine, medium unice quaerere, interimque et sibi, et aliis impraesentiarum deesse; haec inquam, quae avaritiae characterem componunt, non nisi ab homine esse possunt, qui ex mentis debilitate, animi corporisque infirmo robore, propriae infirmitatis conscius, perperamque de rebus cogitans, sibi in futurum fidat parum, timeat multum, vix aliquid ab aliis sperans, comparatis tantum, conservatisque divitiis confidat.

Avaritia idcirco plerumque notatur senectus, muliebris sexus, iique universim cujusque aetatis homines, qui mentis, corporisque infirmitate, senibus, aut foeminis parum concedunt. Haec enim eorum

animos, et mentes saepe pulsant, opum necessitas in futurum tempus praevisa, atque pro crescentis aetatis ratione sensim crescens, earum comparatio decrescentibus viribus difficilior, senectus, infirmitates, necessaria hominum servitia tempore fere semper crescentia, languidiora erga morosam senectutem hominum officia, et servitia, nisi indubia, et parata semper mercede compensentur. Avaritiae, sicut et aliorum moralium vitiorum ampla est latitudo, atque gradatio: cum postremum gradum attingit, *sorditudo* nuncupatur, et *summa avaritia definitur*; viva illa potius atque ridenti pictura ab Horatio adumbrata, quam arida quacumque definitione exprimenda.

Pauper Opimius argenti positi intus, et auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus: ut heres
Jam circum loculos, et claves lactus ovansque
Curreret. Hunc Medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit. Addit et illud;
Ni tua custodis, avidus jam haec auferet heres.
Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venae te, ni cibus, atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti,
Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Octo assibus. Heu!
Quid refert morbo, an furtis, pereamne rapinis?

Avaritiae opponitur prodigalitas, vitio vitium: virtutum est mutuo inter se, et amice convenire; vitiorum vero nedum virtutibus, sed a vitiis etiam esse discordia. Ut avarus futurum unice respicit, timet, providet, praesens omittit, usu rerum si-

bi, et aliis negato, sola earum conservatione delectatur, aeque a fruitione, atque donatione alienus: prodigus ex adverso, nihil de futuro, et de bonorum conservatione sollicitus, praesentem tantummodo usum, et fruitionem cogitat, et amat, bonaque ipsa, quasi incommodam sarcinam in sui, aliorumque gratiam, fruendo, et donando inconsulte deponit, et se se ab eorum pondere sublevat. Prodigalitas igitur est *inconsulta profundendi aviditas:* eaque propter, qui sui, aliorumque caussa, fruendi, donandive pruritu citra consilium, praevidentiam, maturamque rationem nimium expendere, donare, profundere amat, prodigum appellamus.

Si tria illa definitionis verba penitius mediteris; prodigalitatem ab ejus effectibus, et a virtutibus quamdam prodigalitatis speciem referentibus, facile distingues. Primo quidem *aviditatis* nomine morale vitium, hoc est, vitiosa animi indoles, atque habitudo indicatur, atque ab ejus effectibus distinguitur. Rerum igitur profusio, qualiscumque illa sit, prodigalitatis effectus, et consequentia esse potest, non tamen vitium ipsum, aut in vitii definitione comprehenditur. Quin imo bonorum profusio, in sui caeterorumve gratiam facta, alio de capite a prodigalitatis notione excluditur, vel ratione praeeunte honestatis fine intenditur, vel inconsulto, citraque honestum finem exercetur. Vitium enim, hoc est moralem animi indolem, et habitudinem, ab illius actibus penitus distinctum definimus. Quid enim si ob salutem publicam, ob sublimiorem charitatem te devoveas, tuave omnia profundas? Fac enim ut ex consulta ratione rem tuam profundas; tum vero profusio liberalitati, atque generositati tribuetur; quae ab avaritia tantum distant, quantum inconsultum a consulto discriminatur. Hic enim est prodigalitatis character, imo et caussa, incon-

siderantia agendi, intemperans fruendi, donandive facilitas, desiderium, et fere pruritus: parum interim sollicitus, quid, cui, quare, quo tempore dones, quid rei, et temporis tibi ad vivendum, aliisque benemerentibus donandum supersit.

Prodigalitatis effectus, prodigi ipsius votis saepe contrarii, vitiosae illius indoli respondent. Ex nimio fruendi pruritu, atque donandi, et de omnibus bene merendi facilitate, haec proveniunt paradoxa. 1. Ex nimia benemerentia nihil fere de aliis mereat, unaque ingratitudo inconsultae beneficentiae respondeat. Quid enim de donationibus non ex beneficentiae consilio, sed ex retinendi impotentia factis cogitandum? Quid, si nullo discrimine bene pariter, atque male merentibus donetur? 2. Quidquod inconsulta illa donandi vi male apud alios audis, et de te ipso mereris, risumque potius, et despectum excitas, quam aequam erga te gratitudinem. Quid enim si te automatam potius machinam non retinentem, quam ratione donantem existiment? 3. Fortunis ob fruendi, donandique ardorem brevi, ut fieri solet, exhaustis, negatoque deinceps bonorum usu, reliquum est, ut necdum prodigus, sed neque liberalis, generosus, aut oeconomus esse possit.

Morale prodigalitatis remedium est *oeconomia*, quae una cum liberalitate, atque generositate, inter illam, et avaritiam, vitiosa duo extrema, intercedit, aeque ab utroque remota, atque utriusque remedium. *Œconomia* distingui solet duplex; prima quidem proprie dicta, atque hoc solum nomine significata, privatam familiam, aut personam respicit: et ex vocabuli *οἶκος νομία* etymologia, domus, seu familiae regula existit. Secunda dicitur *politica*, et ad totam rempublicam extenditur: ad primamque reduci potest, si rempublicam, seu nationem integram,

velut familiam, complexam spectemus, principiis legibus, et directioni subjectam. Posteriori hac ad Juris publici professores, et tractatores transmissa, de prima tantum sermo sit. Moralis virtus, oeconomiae vocabulo nuncupata, est prudens rem suam fruendi, servandique regula: illa scilicet privatam fortunam administrandi ratio, et voluntas, quae neque praesenti, neque futuro circumscripta, sed utrumque tempus prae oculis semper habens, propriis bonis utatur praesens, praeteriti temporis memor, futuri praevidens: interque haec tempora, et fortunae casus res suas ita utendo, et servando componat, ut sibi nunquam deesse, aut defuturam appareat. Praesens tantum tempus, et rerum usum respicit prodigus, futurum avarus, utrumque oeconomus. Oeconomiae igitur character est, bonorum usus praesens, futuri cautus. Cautus, inquam, quantum id humanae menti permittitur, tempus ex tempore conjectanti, et certa incertis conferenti.

Œconomia igitur merito dicitur generalis prudentiae pars, peculiare objectum, et actiones respiciens, et cum mentis dictamen, tum voluntatis assensum pariter complectens, atque in utraque consistens. Sunt, qui de suis, aliorumque rebus, et domo regendis disserendo, dictamina ructando canuti videantur doctores, usu tamen, et clavo assidentes repuerascere apparent. Videas etiam, qui propriis rebus dilapidatis, alienas, quibus praesunt dictamine, et facto servant incolumes. Utrosve autem citra injuriam oeconomos diceremus? Primis quidem forsan mundi, non physici, quo vivimus, oeconomi: postremi autem sibi ipsis semper dissidentes, oeconomiam intellectu utcumque capere, voluntate, et actione raro probare merito existimantur.

Expositae virtutes, atque opposita vitia hominem

ad externa objecta semper referunt: eorum oblectamentis allicimur et succumbimus vitiosi, aut contra adnitimur virtute commendabiles. Ab iis ad altiora gradum faciamus; ab externis ad interna. Hominem inspiciamus secum ipso, contra se se luctantem, aut sibi ipsi cedentem. Vix aliud est Ethicae argumentum cogitanti homine dignius, quam interna haec animi tranquillitas, et de intestino furore et turbine victoria.

§. XXI.

Mansuetudo, et Iracundia.

Inter humanas virtutes prosequendas, et fugienda vitia, nullum forsan homini erga se ipsum prius esse debet officium, et cura, quam moralem mansuetudinem comparare, et opposita vitia, iram, rabiem, choleram penitus compescere. Haec enim humanis affectibus turbatis, menteque obscurata hominem fere ad bestiarum conditionem deprimunt; illa vero ad spirituum sphaeram, et sublimitatem elevat. Te ipsum inspice, et penitius perscrutare: atque rei utriusque notiones, caussas, effectus in temetipso intuendo, una mecum de hac veritate convenies. Mansuetudo, quatenus virtus moralis existit (alius enim esse potest et nominis, et rei sensus), sui ipsius notione, caussa, et effectibus physicam, rationem, et voluntatem implicat, et complectitur. Temperamento physico, mentis indoli, liberae voluntati tribuendum est, quod mentis, animique serenitate semper vivas, aut irae choleraeque motibus agiteris. Irascanturne, aut serenent semper, aut furore agantur spiritus? Quidquid de ea re, nobis impraesentiarum ignota, statuas, nostra haec animantium pathemata a praesenti, qua sumus conditione, et statu pendent. Quid tamen rei haec, unde, quo-

modo, quid ab iis boni aut mali, quodnam tandem malo remedium?

Ex physici hujusce mundi, telluris, maris, atmosphaerae constitutione, et accidentibus, quid in rationali humano microcosmo accidat, ediscimus, unusque alterius mundi imago quodammodo existit. In inferiori aeris atmosphaera, supraque telluris superficiem perennis fere est elementorum, aliarumque materialium caussarum mutua in se invicem actio, incursus, alterna saepe victoria. Naturalis haec elementorum, caeterarumque qualitatum pugna aequis saepe viribus, parvo saepe virium discrimine agitur. Multoties tamen alia in alia furiantur elementa; coeloque nubibus obducto, furiantibus ventis agitato, imbribus, grandine, caligine horrescente, omni fere aditu, et via solari splendori, et radiis negato, primitivi chaos terram referunt imaginem. Cum horrida hac physica elementorum scena, quam in inferiori atmosphaera, ad montis radices actam superne observas, claram illam halcyoniorum dierum serenitatem confer, qua supra montem frueris ab omni rerum confusione, obscuritate, et furiosis tempestatibus securus. Claro irradiante sole, (molli aura suaviter spirante, natura fere ridet, functiones suas secundum physicas leges agit, atque ad naturae finem tendit: dum ex adverso in furiosa illa rerum perturbatione, omnia invertuntur, citraque ordinem peraguntur.

Si rem totam a mundo physico ad microcosmum humanum transferas; tum vero data modo, et dandae statim definitiones facile intelligentur. In humano microcosmo sensibilium rerum, et actionum vortici supereminet rationis claritas, ut in mundo physico supra tumultuantia elementa sol irradiat. Sensus non modo in sensus, sed in rationem etiam et animum agunt, flectunt, in eorum vorticem ira-

hunt, et involvunt. Ratio pariter nativo lumine atque energia objectas sensuum turbas, perinde ut sol nubes, et tempestates, dispellit, sedat, et serenitatem inducit. In hisce sensuum animique irritamentis et tumultibus, et fere dicam, tempestatibus, potissimum habent locum, qui iram, choleram, furorem excitant, aut secum trahunt. Animus hisce motibus, aut affectionibus agitatus nil nisi violentiam, vindictam, praecipitantiam, et furorem spirat, quibuscum nulla in animo esse potest tranquillitas, pax aut serenitas. Mens ipsa unicum microcosmi luminosum principium, splendore interim languescente, obscurato, amisso, clavum non amplius tenet, humanasque actiones dirigit, et ducit; sed potius ducitur et trahitur tumultuanti illo rerum turbine involutum.

Hasce humani microcosmi affectiones physico-morales dicimus choleram, iram, furorem; pro diversa interni tumultus in corpore, et inquietudinis animi intensitate atque gradatione. Activam animi quietem iis tumultibus, et agitationibus oppositam, illasque temperantem, et compescentem, et ratione dirigentem, moralem mansuetudinem nuncupamus. Cholera, ira, furor, diversi ejusdem passionis physico-moralis gradus existunt, eorumque caussae, et effectus re quidem et natura iidem, viribus et intensitate diversi. Physicus quidam in corpore dolor, inquietudo in anima totius rei fundum componunt; physicarum, moraliumque caussarum effectum, et similium effectuum caussam.

Biliosus humor fibras acriter rodens, tetrasque ideas excitans, nimia fibrarum sensibilitas, temperamentum ex physico, aut morali excitamento facile inflammabile: Ratio sui parum compos, suaque nimium faciens, et amans, ferendae offensionis impotens, parva etiam, et injurias, flocci aliunde fa-

cienda, aegre ferens ; obscura imaginatio, mentem obscurans, mediaque obscuritate objecta male concipiens, microscopii instar adaugens, iisque falsis imaginibus animum cogitandi diuturnitate, citra ~~i~~ dearum claritatem, confundens, turbans, inflammans: haec inquam, physica, rationalia, moralia illas in corpore, mente, et animo turbas, et tumultus excitant, choleram, iram, furorem nuncupatas. Nullus mortalium est ab hisce physicis moralibusque tumultibus plane immunis. Humanum esse, vivere, agere triplicis hujusce ordinis elementa, caussae, effectus componunt. Etsi tamen ita natura comparati sumus, vivimus, agimus; infinita nihilominus sunt inter homines et homines, quoad res hasce omnes, discrimina; nullusque est, qui praedictam humorum, idearum, affectuumque perturbationem componere, et ordinare non possit, et internum tumultum tranquillare. Id qui assequitur, oppositis cholerae irritamentis superatis, morali mansuetudine ornatum esse dicimus.

Mansuetudo igitur moralis est *tranquilla inquietudinum animi serenitas virtute parta*. Virtute, inquam, activa scilicet animi vi contrarios motus compescendi: neque enim tranquillitatem pure physicam, indolentem inertiam jure nuncupatam, intelligo, quae naturalis potius aliquorum hominum indoles phlegmatica existit, quam moralis honestas laude, et commendatione digna. Homines sunt naturae adeo adamantinae, aut phlegmaticae, ut omnibus cholerae irritamentis impervii existant: ii tamen pura virtutis specie veram mansuetudinem mentiuntur: quos non malos quidem, bonos tamen dicere nequaquam possumus. Mansuetudinis nomine tria intelligi possunt, physicum temperamentum, moralis virtus, et tertium tandem ex utroque participans. Homines sunt temperamento phlegmatici, spirituum

inertia languescentes, quos si vel suadendo excitare, vel pungendo irritare adnitaris, oleum et operam perdes : phlegmate immersi somno, otio, frugum consumptione vitam transigunt, aeque ab iracundia, atque ab agendi activitate remoti. Hujusmodi homines non morali virtute, sed physico tantum vitio mansuetos dicimus. Contra vero homines, ut plurimum ad irascendum proni, data caussa, commoventur, irascuntur, quoad bilioso humore evaporato, sedatisque musculis tranquillentur : ad novas turbas et scenas semper parati. Qui propriae vivacitatis sibi conscius, et, quantum prudentem hominem deceat iracundia, non ignorans, apud se statuat, internis ad irascendum motibus semper resistere, et diuturno resistendi exercitio animi commotiones ita fraenare, ut in mediis irascendi excitamentis sit tranquillus ; hic enim vero merito dici debet morali virtute mansuetus. Homines hujusmodi charactere comparati, satis numquam commendandi. Sibimetispis quodammodo hostes, in societate amabiles, rebus gerendis activi in simul, et tranquilli. Hac enim virtute ita animo moderandum, ut nihil de physica agendi activitate detrahatur.

Cholera est physica *animi inquietudo ad vindictam excitans*. Cum hic motuum animae turbo corpore, et animo admodum intenditur, nuncupatur *Ira*. Si in procellosam tandem agitationem deveniat, *furor* nuncupatur, diuturnitate atque intensitate iram, et choleram superans. Ira igitur est *violentior cholera*, eleganter etiam ab Horatio definita; *Ira brevis furor est*. Adeo enim irati hominis turbatur ratio, incenditur animus, agitatur sanguis, ut furioso parum concedat. Vitiosa haec pathemata physicomoralia ex sola saepe offensae imaginatione, biliosum humorem excitante, primam originem ducunt. Nonnunquam biliosi humoris irritatio totius rei caussa

est: ab utroque etiam principio, aliisque superius traditis haec fluunt pathemata.

Hisce passionibus in nos saepe, in animantia, in objecta etiam inanimata, in caeteros ut plurimum homines irritamur, irascimur, furescimus, et vindictam quaerimus. Passionum non modo rationem obscurantium, sed sine ratione, et contra rationem agentium, nulla certa objecta, nullae agendi leges, et modus. Harum effectus sunt: 1. Mentem obscurare, animum accendere, et ad caeco modo agendum excitare; sanguinem etiam, spiritus animales, biliosum humorem commovere, turbatoque et alterato illorum motu, et auctis viribus, in se se, in musculos, caeteraque solida intendere. Inde igitur est, ut mentis lumine obscurato, vigore debilitato, animo in vindictam commoto, una homini fere supersit agendi ratio, machinarum, et animantium brutorum propria. In eos animi affectus, in verba, et actiones erumpimus, quos neque ratio satis videt, aut probat, neque libera voluntas decernit, sed una passio inconsulta praecipitat, et sentiens peragit machina.

Quantum vero distat a cholera, ira, furore tranquilla animi mansuetudo! Quod inter serenum, clarumque verni temporis solem, et procellosum, obscurumque hyemalem diem, furiantibus ventis agitatum, simile etiam inter duos illos animi status intercedit discrimen. Ratione ab obscuris phantasmatibus libera, animo passionum agitationibus non distracto, corporis humoribus, prout opus est, fluentibus, et propria munera obeuntibus, quid reliquum est, quam ut nativa eorum virtus et munera invicem non turbentur, res et actiones videamus ratione, amplectamur animo, corporeis viribus exequamur? Hominem ita compositum, cogitantem, agentem, supra Poetarum Olympum habitare; nubes, imbres, ven-

tos transcendentem , aut potius ad spirituum ordinem elevatum , dicere quodammodo possumus a terrenis affectibus immunem .

Si igitur te amas ; si hominis dignitatem , ex excellentiam non ignoras ; si rationalem esse , rationali modo semper agere , et ad automaton machinarum , aut brutorum animantium classem non detrudi desideres ; si spiritum , qui in te est , rationem , et virtutem colis (colere vero , et haec omnia prae oculis semper habere debemus) ; si , inquam , te ista tangunt , inter prima officia statue ; cholerae , irae , et furoris motus compescere , eorum caussas cavere ; eamque animi serenitatem labore , et virtute comparare ; qua mente clara , tranquillo animo omnia videas ; judices , tractes : offensiones inimicorum , atque inimicitiam philosophica tranquillitate despicias ; eorumque gratia iram concipere dedigneris . Legibus hac in parte nos similes esse oporteret, quae praemia , et honores sine amore decernunt , poenas sine odio aut iracundia statuunt ; amoris et odii effectus Stoica tranquillitate praestant . Hanc virtutis sublimitatem nobis ostendit , ad eamque nos ducit naturalis ratio , et moralis philosophia : inde vero subliniorem illum virtutis apicem languido lumine indicat , aeternae veritatis oraculo pronuntiatum ; *diligite inimicos vestros*, *irascimini et nolite peccare:* officia enim vero loquentis Dei auxilio facilia , purae naturae viribus vix possibilia .

Quanam vero mentis contentione adnitendum est , ad illa mentis deliria cavendum , et auream animi tranquillitatem comparandum ? Irae remedia alia physica , alia moralia , alia etiam utriusque generis existunt . Primi ordinis sunt quaecumque ad biliosi humoris quantitatem , et acrimoniam purgandum , corrigendum , temperandum praescribit Medicina physica . Inter haec locum etiam habet recens hujus sae-

culi inventum, *electricitas negativa*. Innumeris fere malis remedium in materia electrica invenere jam, et ulterius adhuc quaerunt hujus temporis Medici. Argumento, si quod est aliud, longissimo ad Physicam transmisso, summis labiis attingere sufficiat, choleram, iram, furorem ex copiosiori bili, originem saepissime ducere. Cum vero ignis electricus bilem magna ex parte componat; hujusmodi materiam ex corpore extrahendo, quod negativa electricitate praestatur, a praecipua irae, furorisque caussa physica liberatur corpus. Rei electricae doctis haec dixisse satis; indoctis enim integrum volumen opus esset.

Alterum irae remedium est *mora*. Irascerisne aliquando, atque in injuriosa verba aut facta proferenda, exequenda interno furore aestuas? Sustine parumper: id unum plerumque satis. Flamma, cujus naturae est accensa bilis, tota in motu intestino consistens, perenni partium dissipatione, negato ulteriori pabulo, presso motu extinguitur. Hoc uno remedio diligenter adhibito, fiet, ut homo temperamento biliosus, delicatus, morosus aurea fruetur animi tranquillitate. Corpora, copiosissimum ignem elementarem temperamento continentia, frigida erunt, si internum ignem non excites, aut excitatum evaporari permittas.

Morale iracundiae remedium est ipsius mali cognitio. Si quid sit ira, ad quem statum hominem rationalem adducat, quinam esse soleant illius effectus, quod hominem deturpet, rationeque obscurata, aut sublata bestiis aequiparet, physica etiam mala in humano corpore excitet, inducat, aut afficiat: si, inquam, haec alta mente defigas; tum sane proprio periculo morale hoc axioma probabis: *cognitio mali remedium*.

Morali mansuetudini affines sunt et comites plerumque necessariae Patientia, Constantia, Fortitudo,

tres aliae morales virtutes, atque officia mutuo inter se, et cum mansuetudine connexa, aliae ad alias ducentes, hominique quocumque in statu vivat necessariae.

§. XXII.

De moralibus officiis, et virtutibus, Patientia, Constantia, Fortitudine, atque oppositis vitiis.

Tranquilla animi serenitas, seu moralis mansuetudo, de qua hactenus, sine patientia, patientia citra constantiam, constantia vero sine fortitudine, in praesenti vita esse non possunt. Juxta nostram hominum conditionem, in praesenti rerum constitutione, aliae alias secum ducunt, mutuoque se se complectuntur. Quot enim, et quantis animi corporisque infirmitatibus, et laboribus non premimur, quoad vivimus? Physicarum caussarum complexione semper circumdati, earumque praeda, et ludibrium? Quid quod ipsamet interna, et mutua partium corporis agendi, patiendique perennitate, humanam vitam constituente, atterimur, consumimur? Multa animus a corpore male affecto, agente et patiente; multa etiam corpus ab animae passionibus; multa utrumque ab externis corporibus, patitur. Omnes corporis functiones a cunis ad sepulchrum sunt, agere et pati: actionique respondet semper passio. Fuse de argumento physico in Physica viventium disputavimus.

Sed quid physica haec moralibus collata? A corpore ad spiritum, ad animi pathemata. Quaenam inde explicatur malorum origo, théatrum, scena, atque vicissitudo? Hic enim vero est, quod nostris aliorumque passionibus laboramus, et premimur. In perenni semper humanarum rerum vortice cir-

re, et contra semper adniti, ut ipsismet malorum acerbitatibus, et adversis tempestatibus supereminens animus, velut rupes fluctuum ictibus immota, interna pace, atque serenitate fruatur. Tum enim vero, quantum animus, et ratio sensibus emineat, quid etiam agere possit et agat apparet. Neque enim hujusmodi homo eam patientiae sublimitatem adeptus, ut Stoicorum *Sapiens*, affectatae insensibilitatis victima, et in mediis tormentis beatum se esse mentiens, mala praesentia non sentit, praeterita non meminit, futura non praevidet. Sentiens tamen, memor, praevisor, fortunarum direptionem, corporis tormenta, afflictiones animi patitur tranquillus, inutilibus querelis aerem non replet, neque ab amicis solatium quaerit. Sese unum malorum vortici patiendo opponit tranquillus, miserentium amicorum consolator, et pene dixerim, invidia. Is sane est, quem *si fractus dilabatur orbis, impavidum ferient ruinae*.

Solane tamen indeclinabilia mala respicit, et sustinet *patientia*? Ita quidem, respondeo: cum mala sustinet, quae facile declines, tum vero ex alia potius virtute, aut vitio quam est patientia agis. Quot sane pericula non aggreditur, et mala non patitur in acie miles, in mari mercator, in principum palatiis aulici? Hosne ex patientia commendabis? Patientia, si qua alia moralis virtus, ex humanae naturae conditione per totam vitam est hominibus necessaria, utilis, laudabilis. A te ipso quaere, et disce, quid est humanum vivere? Alterna malorum, bonorumque perennitas: indeclinabilia declinabilibus permixta: *multa ferunt anni venientes commoda* (et incommoda): *secum multa recedentes adimunt*. Quod de annorum fluxu, id etiam de naturae conditione, id de physicis caussis, id de hominibus pariter intellige. En humanae

vitae tabulam, praesentemque hominum statum, secundum aeterni Numinis statuentem, aut permittentem Providentiam. Haec aequo animo non ferre, de iis commoveri, impatienter tolerare, quid tandem esset, quam de Dei providentia queri, atque inique, et temere detrahere, de Numine ipso demereri, aeterno secum ipso vivere dissidio, atque indeclinabilibus malis novam addere appendicem?

Quid vero, si patientia ipsa levius semper fiat, quo premimur, malum? Naturae ipsius videtur esse dictamen, et instinctus illa Poetae sententia, *tu ne cede malis; sed contra audentior ito*. Velis, nolis, cum humanae vitae adversitatibus luctandum est. Adversae calamitatis ictus, et pondus, quod cedendo, totum in nobis recipitur, erecti animi resistentia infringitur, multumque de proprio amittit: brevius, debiliusque evadit. Haec in physicis, haec etiam in rebus physico-moralibus locum habent, eaedemque observantur leges. Transmissa etiam parumper, si fieri potest, hujusce virtutis necessitate, atque utilitate, quanti sane non est, atque esse debet patientiae pretium, atque aestimatio? Hominem tibi ante oculos statue mediis in calamitatibus, quibus fere semper turbatur humana natura, tranquillo animo sibi semper aequalem, aeque a pusillanimitate, atque a desperatione remotum, qui rerum suarum conscius a Stoica insensibilitate alienus, totam adversitatis vim sentiat, ferat, quin tamen succumbat, cedat, aut in Providentiam, in se, in alios stomachum erumpat, aut internam amittat pacem. Hominem ita se se temperantem et agentem non invideres, et prodigium aliquod non aestimares, humana conditione superius? Id equidem phaenomenon agendi rationem hominibus communem non saperet, sed altius quoddam communis desiderii potius, quam spei objectum. Ad eam

vero sublimitatem hominem ducit patientia ; eaque est hujusce virtutis natura, character , et effectus. In ipsamet sensus vivacitate, affectuum irritatione, tumultu , perturbatione insensibilis , tranquillus, et virtute apathus . Virtute , inquam , morali , seu rationis . Quod enim physicas tum corporis , tum animi afflictiones attinet , natura res suas agit . Corpore igitur et animo sentit sentienda ; ita tamen sentit , ut nihil incommodi sentire videatur , ipsismet afflictionibus veluti imperans , inimicis amicus se ipso major , et humana conditione superior .

Sicut elati montis sublimitatem ex infima valle , et planitie , ita singularem hanc virtutis sublimitatem ex opposita vitii communis humilitate suspicimus , miramur, et aestimamus . Sicut patientia rationem sensui dominantem sapit , et aliquid fere divinum ; animumque elevat ad conditionem humanitati superiorem , ita impatientia , quatenus morale vitium existit illi virtuti oppositum , sensu potissimum agit , rationisque sublimitate transmissa , humiliter repit , brutorum more queritur , irascitur , detrahit , minasque , et vindictam spirat . Est enim impatientia *inquietudo animi sentientis malum* . Ejus character, atque effectus sunt parum rationi , omnia fere sensui dare , malo cedere , et cedendo majus longiusque reddere , internam animi tranquillitatem turbare , eaque agitatione mentem , et animam ad praeceps judicium , actionem , iracundiam , aliaque ejusmodi phaenomena , cogitantem prudentemque hominem dedecentia , trahere.

Patientia patiendo fere ediscitur : impatientia vero dedocetur : dummodo una cum passione ipsa intimo conscientiae sensu animadvertatur , quid rei sit utrumque illud animi pathema , quaenam ex prima consequantur homini decentia , utilia , necessaria ; quaenam vero secum altera , quae hominem physi-

cum, et moralem deturpant. Haec cum dico, potissimam patientiae caussam indico, in mali ipsius, bonique oppositi cognitione consistentem. Potissimam, dixi: neque enim physicam sensibilitatem excludo, ex fibrarum indole derivantem. Mirum est, quantum in rebus hisce physico-moralibus possit temperamentum, humorum, fibrarumque indoles, imaginationis vivacitas, regionis clima. Fodinarum fieri fossores, et bracteatores fusa metalla manuum palma tractant impune: rem minus callosis manibus intolerabilem. Nationes polo proximiores, nisi frigoris intensitate membrorum explicatio impediatur, vegetioribus fibris atque temperamento, frigidioreque phantasia a natura donatae, patientia, constantia, fortitudine prae aliis commendantur aequatori proximioribus, in quibus fibrae ob subtiliorem texturam sensibiliores, ferventiores spiritus, ardentior est imaginatio, malum quodcumque microscopii instar vivacius, majusque repraesentans.

Qualiacumque tamen sint physica haec patientiae elementa, morale hujusce virtutis meritum in liberam mentem, et voluntatem penitus refunditur: tumque maxime enitet, cum vividiorem sensibilitatem physicam comitatur, et sustinet perfecta animi tranquillitas. Ad eum patientiae apicem devenire, in eo constanter perseverare, *hoc opus, hic labor est*; eoque deveniunt, et perseverant, *quos aequus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus*. Id vero citra fortitudinem, et constantiam, duplicem aliam moralem virtutem patientiae affinem, ejusque officiis necessariam, ne sperari quidem potest.

Fortitudo, alter moralium virtutum cardo, generatim accepta vim, seu virtutem significat: eoque sensu Physicam, Moralem, Politicam, omniaque caussarum genera complectitur. Quidquid universim fit,

vi, virtute, et fortitudine peragitur. Non modo physica omnia fortitudini, seu viribus tribuuntur; sed in rebus etiam physico-moralibus, in politicis, aut civilibus, quicumque viribus, et fortitudine pollet, communi omnium temporum experientia docente, summa rerum plerumque potitur, et primas tenet partes. Vis corporis physica, divitiae, dominium, amicorum gratia, en moralem in politicis, civilibusque rebus fortitudinem, clavim, et fundamentum; unde fere omnia dependent; quod propterea praecipuus rerum cardo merito nuncupatur.

Fortitudo, ut virtus moralis spectata est *constans animus difficilia aggrediendi, et sustinendi*. Illa scilicet animi indoles et vigor, quo magnas sustinemus adversitates, difficilia honestatis caussa constanter aggredimur. Ut fortitudo sit et commendari debeat ut virtus moralis, subsequi semper debet prudentiam, et non nisi honesta, atque ad honestum finem aggredi, sustinere, et peragere. Prudentia deficiente, fortitudo in audaciam et temeritatis speciem degenerat, quarum prima est *animus majora viribus aggrediendi*. Secunda vero a priori parum distans, est *praeceps audacia*: qua audacter, aut temerario aggredimur, quae vires nostras re, aut modo, et circumstantiis superant. Utrumque despicere, prudentiae, et consilii debet esse munus: quae re quidem majora sunt transmittamus, quae vero modo, aut circumstantiis, consultius aggrediamur: ne quae specie apparet fortitudo, atque laudabilis virtus, vera sit audacia et temeritas; moralia vitia semper reprobanda. Quot vero in historiis homines legimus ob patrata facinora fortitudine maxime commendatos, quorum gestis ad prudentiae trutinam examinatis, sub virtutis specie una superest temeritas, et audacia, virorumque illustrium loco personati commendantur heroes? Illustria exempla illu-

strem virtutem confirment. Contra Carthaginienses bellum in Hispania gerebat Scipio, 24. annorum juvenis, et supremus Romani exercitus imperator. Nova Carthagine expugnata, inter captivos Scipioni adducuntur duae pulcherrimae virgines una cum earum matre, viri principis uxore. Quid a militari juvene timendum iis non erat? Bono animo estote, inquit; liberas vos esse volo, liberas, et honorifice tractatas patri vestro restituo.

Illustri Ethnico, illustrem adjungamus Christianum ducem; Scipioni Bajardum, nobilem illum Gallorum ducem, Caroli octavi, Ludovici XII., et Francisci primi temporibus celebrem. Gallorum armis expugnata Brixia, rebusque omnibus militari praedae et licentiae permissis, Bajardus, vulneribus in expugnatione acceptis, divitis cujusdam domum ingreditur; tremere omnes: de rebus omnibus suis actum esse, vitam servari incolumem beneficii loco ponendum esse. Interim Bajardus, militari custodia ante domi fores stare jussa, Bajardum domo vestra habetis, inquit: hoc vobis, rebusque vestris satis. Urbe jam a militaribus hospitibus et praedatoribus libera, Bajardo etiam egressum jamjam parante, nobilis hospes ducem adit, eumque duo aureorum millia (vulgo *due mila doppie*), enormem tunc temporis summam pro servata domo et fortunis accipere enixe grato animo precatur. Accipio, inquit Bajardus; sed totam hanc pecuniam duabus, quas habes, virginibus filiabus, ab omni militari licentia per me servatis, in dotem constituo: vale. In pictura ut figurae vividis coloribus depictae magis clarescant, circumfundamus umbram, et in media umbra legatur Cromwel, nomen quidem nigro lapillo signandum, et Anglicae nationis, scientiis, armis, legibus maxime commendandae, dedecus, ex illius fastis expungi dignum. Homini

regicidae, omni scelerum genere infami, ad praefixum sibi finem exequendum, Regemque e medio tollendum, curae imprimis erat, ut Scotos, quorum fidei se commiserat Carolus primus, in partes suas traheret, Regem ex eorum manibus fallaciter educeret, suo tandem consilio tractandum. Scoti igitur devinciendi erant, ut una cum ipso proditores existerent. Scotis per id temporis, Calvini doctrina jam infectis, mos erat maxime laudabilis, Deum frequenter consulere, precari, orare; ita ut hanc vocem *cercare il Signore*, si minus re exequerentur, ore passim dictitarent. Ut Presbyteranorum sectam, aliis in Anglia ea tempestate praevalentem, magis demereretur, eundem loquendi modum affectabat Cromwel religiose mendax. Accidit aliquando, ut Cromwellio cum amicis, ejusdem farinae hominibus in conclavi familiariter agente, aliae, et aliae eo jubente mensae imponerentur phialae vino Canariis, Madeira, et Burgundia asportato plenae. Haustis adjungebantur hauriendae. In id intendebant omnes, ut haustarum obturacula in pavimentum hac illac incuriose elapsa quaererentur, hauriendis vero hac illac reperirentur terebrae, recludendis phialis opportunae. Dum ita fervet opus, bibitur, ridetur, obturacula, et terebrae quaeruntur, et Praesbyteranorum pietas in jocum vertitur, Cromwellio nuntiatur adesse Presbyteranos duces de re publica acturos. Tum mutatur scena, hilarique facie in devotae pietatis hypocrisim versa, nuntiis respondet Cromwel: *Noi siamo tutti occupati a cercare il Signore. Quando lo avremo ben cercato, e finite le nostre divozioni, tratteremo delle cose pubbliche.* En affectatae religionis irrisorem, sincerumque illius Domini cultorem, cujus templa sunt vinariae cellae, atque cauponae. Si secundum hasce regulas ad trutinam expendantur tot hominum gesta, qui heroes

audiunt, et magnopere commendantur, quot despicerentur pusilli pygmaei inter gigantes vulgo recensiti? Alexander Magnus, et Carolus XII. Suecorum Rex, tot victoriis famosi, hoc est, imperiorum et regnorum eversione direptis destructisque provinciis, infinitorum hominum caede, humanitatis exitio celebres, in hisceque omnibus exequendis temerarii, eadem ratione heroibus annumerandi essent, qua inclitus D. Quixote id nominis adeptus est. Si ipsaemet victoriae discutiantur, quibus illustre comparatur nomen, quanti qualesque non detegerentur infames latentes cuniculi, quibus reportantur victoriae, magnaque negotia ad finem feliciter perducuntur, in laudem postea ab indoctis aut corruptis Scriptoribus vertenda? Laudes et res gestae a te relatae, sunt ne hominis propriae, quem ex illis tantopere commendas, quaerebat a Paullo Jovio Amicus: *propriissimae*, reponit Jovius; *illas enim numerata pecunia comparavit*.

Ut quantum de rerum praeclare gestarum auctoribus et modo dubitandum sit plane constet, mille adducere possem exempla. Unum e multis, ridendi et verum dicendi caussa, adjungam, a rei ipsius auctore et actore descriptum.

Comes de *Rochefoucault*, ingeniosus et alacer adolescens, Cardinali *de Richelieu* a secretioribus consiliis *non dandis, sed exequendis*, totius rei auctor, et scriptor. Gerebatur bellum inter Gallos et Austriacos, armorum fortuna modo ad unam, modo ad alteram partem inclinante.. Cardinalis comitem de Rochefoucault ad sese vocatum ita alloquitur. Rem summi momenti exequendam tibi committo. Via regia perge per medium lucum *de Vincennes* ducente; usque dum transversam in luco devenias datae diei data hora. Eo pervenias relicta regia per transversam ad dextrum iter, datoque pas-

suum numero confecto, transversa via etiam relicta, per medium lucum recta directione perges, datisque passibus peragratis, religiosum hominem de Capuccinorum ordine, data hora, deprehendes, capite velato, et supra manum et cubitum inclinato dormientem. Cave hominem excites, sed ulterius dormire permisso, sacculum a me tibi traditum, sexcenta Turonensium librarum millia continentem, intra religiosi hominis cucullum demitte; statim regredere rem totam mihi relaturus. Ego vero, inquit Auctor, temperare mihi non potui, quin hominis faciem diligentissime non observarem. Post aliqua tempora inter Germanos agens, unum e praecipuis Austriacae gentis ducibus esse cognovi, qui religiosum Capuccinum mentiebatur. Quid tota haec scena significet, Lector, me tacente, intelligit (*a*).

Si rebus aliunde praeclare gestis, una desit vera animi, actionisque honestas: qualicumque humanae prudentiae specie, seu potius sagacitate, et astutia difficilia peragantur facinora; non hominis fortis, sed illustris scelerati nomine praedicaberis. Verae laudabilisque fortitudinis primum munus est, turpibus quibuscumque tentationibus ad injusta faciendum solicitantibus non succumbere. Praeclara enim vero fortitudo, si ne te ipsum quidem, et injusta animi desideria superas! Fortitudini, quae audaciae, et temeritati opponitur, contraria etiam est *pusillanimitas*: quam non male definies: *exiguarum rerum timor, animi abjectio, et vilitas*. Illud passim animadvertimus, et miramur pusillanimitatis, et magnanimitatis paradoxon, quod homines saepe inveniantur magno animo praediti, infirmis licet, fractisque sint corporis viribus: contra vero in robustis, magnarumque virium corporibus animae lateant pusillani-

(*a*) Memoires de Mr. de Rochefoucault.

mes, ad minima quaeque paventes, difficilibus aggrediendis ineptae, ab ipsis etiam periculorum umbris perterritae.

Quomodocumque res sit, necessaria patientiae et fortitudinis appendix, corona, et fundamentum est constantia. Hac enim vero virtutum fere omnium custodia deficiente, nonnulla forsan patientiae, et fortitudinis exempla hac illac per totum vitae spatium sparsa edentur; sed cum ab oppositis etiam animi affectibus permixta obscurentur; non tam vera patientiae virtus haberi debent, quam moralia quaedam, et aequivoca patientiae phaenomena. Constantia duplici, ut arbitror, usurpari potest sensu: primo quidem, prout est generalis virtus, et moralis indoles animi, caeteras omnes virtutes, et hominis officia respiciens: secundo vero ad patientiae et fortitudinis actus, atque objecta refertur. Secundo hoc sensu ad rem nostram faciente accepta constantia, est *patientiae, et fortitudinis activa et prudens animi firmitas*. Inconstantia vero huic virtuti opposita, dici potest, atque definiri *patientiae, et fortitudinis infirmitas*. Cum animus nonnunquam patiendo deficit, alternaque fit inter harum virtutum et oppositorum vitiorum actus vicissitudo, variabilem hanc animi indolem, inconstantiam dicimus: in qua una cum debilibus ad virtutem conatibus, vitiosa conjungitur animi infirmitas.

Constantia priori generali sensu accepta, est firma animi tenacitas ad verum, bonum, et decorum. Omnia igitur hominis officia, atque virtutes ita respicit moralis constantia; ut qui uni vel alteri officio desit, alterneque peccet, et resipiscat, non amplius constantis animi existimetur. Quisnam igitur mortalium perfectae constantiae laude merito commendabitur; cum nullus sit, qui officio saepissime non desit? Da tamen aliquem, sincerum veri a-

matorem, et a praecipuis humanitatis officiis non recedentem, quantum humana fert conditio. Eum vero constantem merito nuncupabimus: nisi hanc virtutem juxta Stoicorum mentem accipiamus, in Platonica tantum Republica quaerendam. Si constantiae objecta firmae adhaesionis digna existant; tum vero nostra haec animi indoles constantia proprie dicitur, virtusque moralis existit, nunquam satis commendanda. Sin minus; firma illa animi tenacitas, nomine et merito mutatis, falsa constantia dicitur, veraque obstinatio atque pertinacia. Morale enim vero vitium, quo homines constantiae laude vulgo commendati, saepissime laborant, propria, alienaque opinione delusi.

Inconstantia tum verae constantiae opponitur, virtuti scilicet vitium, tum etiam falsae, vitio scilicet vitium. Inconstantia verae constantiae opposita est *mentis, animique levitas*, qua perinde ac arborum folia mens humana sibi parum constans, affectuumque ludibrium existens, modo unam, modo alteram tenet partem; in maris potius, seu rerum superficie fluctuans, quam radicibus fundo immissis adhaerens. Quae vero falsae constantiae, et verae pertinaciae opponitur, non amplius inconstantia audit, sed ratio, atque rationabilis docilitas. Postremo hoc nomine suavem illam animi indolem intelligimus, qua si quis praeditus est sincero veritatis et virtutis amore actus, sibi tamen non satis fidens, dum rerum evidentia deest, eo semper est animo, ut veritatem, undecumque appareat, avide, et sincere amplectatur; sententiam semper mutare paratus, quotiescumque ad ejusmodi mutationem ratio sufficiens existat. Atque haec illa est mentis, animique docilitas, cum per se se laudabilis, tum sacro illo veritatis oraculo commendata: *prudentis est, mutare consilium*.

Hujus doctrinae corollarium, et veluti epiphonema sit = constans animo, et actione esto, circa verum et bonum certum: docilis vero circa incerta. = Mentis levitas profundiori rerum meditatione corrigenda: pertinacia vero ponenda. =

Utrumque demonstrant, atque suadent cum datae modo notiones, tum rerum ipsarum caussae, atque effectus. Inter praecipuas constantiae caussas numerantur profundior sensus affectio, vividior objecti amor, aut desiderium, physica temperamenti ratio, non facile mutabilis, sincerus virtutis et nominis amor, cum mutabilis ingenti levitate non facile componendus. Hisce contraria ingenii levitatem per se ferunt, atque efficiunt.

Atque haec sunt praecipua hominis erga se ipsum, quocumque in statu vivat, tenenda officia, exercendae virtutes, fugienda vitia; quae propterea officia absoluta nuncupantur. Longius multo protraheretur argumentum, si de jure potius Naturae fuse disserendum esset, quam de pura Ethica disputandum. Plura supersunt hominis officia, se ipsum aliosque homines respicientia, et mixta vulgo nuncupata, plurima tandem ad alios tantum homines relativa: quae nonnisi in statu Societatis locum habere possunt, atque intelligi.

§. XXIII.

Status hominum Socialis, seu associatio hominum in statum Societatis.

De officiis hominum disputationi, civiles hominum status, atque societates supponentibus, atque ex naturali civilium societatum statu consequentibus, nonnulla praemittere oportet, circa civilem illum existendi modum, quo natura duce omnes universim vivunt homines.

Status rei alicujus generatim acceptus, est *continuatus existendi modus, certis proprietatibus distinctus*. Aqua concreta, postea liquescens, sensim calescens, in vapores exhalans, in pluviam tandem soluta, existendi modos per aliquid saltem temporis continuatos fungitur, diversis proprietatibus distinctos: exemploque esse potest, quid rei sit status, quid statuum diversitas. Ad statum, ipsomet nomine, momentanea positionis existentia satis non est: quaedam temporis continuatio requiritur. Dividitur in physicum, et moralem, pro rerum in statu existentium conditione. Physicos sola natura, et caussae physicae; morales vero constituit voluntas. In homine utriusque rationis status locum habent. Sed statibus pure physicis transmissis, status hominum morales sunt constitutiones, quarum ratione homines diverso jure utuntur, et officiis tenentur. = Hujusmodi status sunt positiones, seu existendi modi relativi ad Deum, ad se, ad alios homines. = Cum ad tria haec objecta non modo naturae necessitate referamur et teneamur; sed plurima etiam libero consilio nobis statuamus officia, multiplici modo homines secum ipsis, cum Deo, cum aliis hominibus obligantia; multiplex inde est status moralis divisio ad rem praesentem faciens.

Status hominum morales alii sunt *originales*, seu primitivi, alii vero *arbitrarii*, et secundarii. Primi generis sunt, quos natura ipsa per se se facit, aut ex ipsa sponte, et quadam necessitate consequuntur. Hujusmodi existunt primo status *purae naturae*. Sola scilicet relatio absoluta, et dependentia hominis a Deo. 2. Status Societatis naturalis, seu relatio et dependentia hominis ab aliis hominibus. 3. Pax, aut bellum inter homines in statu naturae existentes. Status arbitrarios nuncupamus, quos non ulla naturae necessitas, sed libera tantum voluntas

introduxit. Hujus generis sunt, primo quidem et praecipue humanae Societates civiles. 2. dominium certum aliquorum. 3. status familiae, hoc est, parentum et filiorum. 4. omnes illi morales hominum gradus ad civiles Societates formandas, et conservandas necessarii, quales sunt, principis, magistratus, subditi, milleque aliae humanae libertatis, aut necessitatis modificationes. In civilibus societatibus perfectis plurimae aliae institui et esse debent peculiares societates singularibus muneribus inservientes. Sunt quibus arma, et totius nationis ab hostibus defendendae commissa sunt munera. Aliae religionem docent, aliae civium lites dirimunt, et componunt, atque legum observantiae invigilant. Neque enim sine religione, sine legibus, sine armis conservatur respublica; neque omnes universim cives possunt esse sacerdotes, jurisconsulti, et milites,

Alio modo statui, et dividi potest moralis hominum status. Alius scilicet est naturalis, seu libertatis, alius vero civilis seu obligationis. Status naturalis et socialis ex hominis naturalis, et hominis civilis notione statuendi sunt. Hominem sola naturae indole, et lege viventem, *hominem naturae* nuncupamus: civilem vero, seu *socialem*, qui praeter naturae, sociali etiam tenetur lege. Status igitur naturalis est *purae naturae constitutio et vita*: seu vivendi modus omnes civiles leges antecedens, naturalis hominis conditio citra ullas humanas, divinasque leges positivas. Civilis vero est *constitutio socialibus legibus definita*. Hominem, et statum naturae, hominem liberum, et statum libertatis nuncupamus; propterea quod nullae humanae leges statum naturalem constituunt, aut hominem naturae obligant: et uterque ab hisce socialibus vinculis existit, aut concipitur plane liber. *Existit, aut concipitur*, inquam: probatu enim facile haud est, ex-

titerit necne aliquando homo et status naturae, citra omnem humanam, divinamque legem. Dei enim vero creaturae existimus homines. Unde vero probabitur primos homines nullam, cum crearentur, accepisse a Deo legem?

Utcumque res fuerit, hominem, et statum naturae, atque naturalis libertatis concipimus, cum hominem spectamus sui dominum, naturali ratione praeditum, ab omni humana legislatione immunem. Hujusmodi esset hominum status, si alios ab aliis seorsim in mundo poneret naturae auctor: aut in familiis tantum divisi in nullam ulterius convenissent civilem societatem. Integrae igitur nationes, nullis inter se socialibus conventionibus et pactis convenientes, in naturae, et libertatis statu relatae ad se invicem existunt. In eo statu naturalis libertatis tenetur proculdubio homo naturae, praeter officia omnia erga se, et Deum, et erga alios homines, ad illa etiam officia absoluta ex nulla hypothesi pendentia, sed ex innata et essentiali hominis indole, et ratione naturali derivantia. Et hinc cum integrae nationes sint personae in statu naturali relativo existentes, morales, liberae, moralium actionum, et officiorum capaces; mutua haec harum officia, quibus mutuo aliae erga alias tenentur, *Jus naturale Gentium* nuncupantur.

Duplex propterea distinguendum est *Jus naturale*, necessario obligans, et omnes humanas lege antevertens: *Jus naturale hominis*, et *Jus naturale Gentium*: sibi quidem plurimum analoga iisdemque veritatibus constantia; in bene multis tamen inter se diversa. Homo vel in se se spectari potest seorsim ab aliis hominibus, vel una cum aliis hominibus associatas nationes componens, alias ab aliis seorsim citra ullam dependentiam rem suam agentes. Utroque modo spectati ad Deum, ad se, ad alios homines referuntur, plurimaque Deo, si-

bi, homo hominibus, societas societati, naturali ratione dictante, debent. Quae homo, ut homo est, Deo, sibi, et aliis hominibus debet officia absoluta, aut hypothetica, Jus naturale hominis constituunt, et nuncupantur. Quae similiter natio Deo, sibi, et nationibus aliis, tamquam personae morales naturaliter debent, *Jus naturale Gentium* existunt. Utrumque aeque necessarium, neutrumque in arbitrariis hominum, nationumve conventionibus consistens, aut ab iis obligandi virtutem derivans. Sunt, qui *Jus Gentium* nuncupant mutua nationum officia, consuetudine potius arbitraria, et tacita conventione introducta, quam naturali constitutione necessarioque stabilita. Ea tamen, quocumque donentur nomine, *Jus potius consuetudinis Gentium*, quam Jus naturale Gentium existunt, atque nuncupari debent.

Iis tamen summis tantum labiis impraesentiarum delibatis, Status societatis civilis, quem definivimus, *vivendi ratio humanis legibus statuta*, secum fert voluntariam naturalis libertatis restrictionem. Homo naturae, unius Dei creatura, sui, suarumque actionum Dominus, nullis humanis legibus adstrictus, perfecta fungitur libertate, quae nihil aliud est, quam *perfecta agendi aut non agendi facultas, nullis humanis legibus impedita*. Quod de homine naturae dico, de familia etiam, seorsim ab aliis omnibus familiis vivente, intelligendum. Incommoda tamen, et pene dixerim, infelix ejus status libertas! Quot enim mala, pericula, et labores non essent illius libertatis comites, et necessariae appendices. Hominem concipe naturalibus quidem facultatibus praeditum, solivagum tamen in terris, omnibus humanarum civilium societatum beneficiis, artibus, utilitatibus destitutum, sibique plane relictum. En vero hominem naturae, qualis sane nunquam exti-

tit, concipi tamen debet. Is fere esset hominis status, et conditio, qui puer adhuc, rerumque humanarum ignarus, infelici aliquo casu sibi derelictus, omnique humana ope destitutus, in mediis sylvis, montibus, vallibus vitam ageret, hominum societati et commercio ignotus. Quaenam hujusmodi homini esset mentis cultura, ornamenta virtutum? quanto ex adverso ignorantia non laboraret sibi ipsi injucundus, molestus, et fere intolerabilis? Periculis undequaque circumdatus, nuditate, et fame pressus, frigoris, caloris aliarumque coeli tempestatum ludibrium. Felix enim vero naturalis hominum conditio, et libertas! Quaenam vero scenae diversitas, si hominem in civilibus Societatibus cum homine naturae conferamus? Conferre autem facile est.

Hominum statui modo potius indicato, quam ad vivum descripto, civiles, quibus vivimus, Societates oppone. Quaenam a mutuo hominum commercio, ab humanis legibus, ab artibus, et scientiis non accipimus commoda, et beneficia, quibus licet inermes, tranquillo animo vivimus, et securi? Habitacula, vestes, alimenta suppeditant artes. Mentem informat magistrorum doctrina, animam vero educatio, leges, virtutum exempla. Mira haec hominis in hominem metamorphosis, vix praetio aestimanda, liberae et mutuae hominum conventionis opus, tantillo naturalis libertatis dispendio comparatur. Ope igitur associationis, cujus naturam, et modum statim explicabimus, cives fiunt, qui antea erant homines naturae: libertasque et status naturalis superius definita, in statum, et civilem libertatem transmutatur.

Cum status civilis sit *ratio vitae socialis legibus definita*; libertas civilis est *libertas agendi, aut omittendi quidquid legibus agendum, aut omittendum non praescribitur*. Libertatem moralem imprae-

sentiarum semper intelligimus a physica longe diversam. Si nulla praescribantur legibus, tunc libertas est perfecta; qualis est illa status naturalis, quae relata superius incommoda secum defert. Si omnia; tum vero libertas est nulla; sed perfecta coactio, atque moralis necessitas. Medium inter duas hasce extremitates est *libertas civilis*, nonnihil de utroque extremo participans. Naturali libertati modum imponunt leges civiles, dum multa statuunt faciendа, aut omittenda, plurimis antiquae libertati permissis.

Habes, quid sint civiles societates, seu *corpora politica*. Societates generatim in imperfectas et perfectas dividuntur. Imperfectae sunt quibus aliquod deest ad moralem earum conservationem necessarium; quale potissimum Jus imperii ad defendendum, obligandum, coercendum sufficiens. Hujusmodi sunt familiae, et plurimae aliae hominum Societates in politicis Rebuspublicis admissae. Perfecta autem Societas civilis, seu Respublica est illa hominum associatio legibus constituta, quae sese conservare possit, et defendere cum suprema juris dictione ferendi leges, et de rebus suis statuendi. Una harum conditionum deficiente, non esset amplius perfecta et stabilis status civilis Societas: vel per se ipsam periret; vel in aliorum statuum civilium praedam facile deveniret; vel tandem alieno arbitrio et legibus gubernaretur, se ipsam regendi, servandi, et defendendi impotens.

Supremum societatis imperium aut penes cives omnes existit, diciturque *Democratia*; quae est jus imperii omnium in omnes: aut penes aliquos tantum, nuncupaturque *Aristocratia*, quae est *Jus imperii aliquorum in omnes*: aut ad unum solummodo civem spectat, diciturque *Monarchia*, hoc est *unius hominis in totam Nationem imperium*.

Atque haec est notissima civilium societatum divisio, quae multiplici modo inter se combinati possunt: aliaeque et aliae inde enasci societatum species, ut passim demonstrant Nationum exempla. Quod si legum potius modum, quam caput imperii spectemus; civile societatum regimen, aut certis *fundamentalibus*, atque sacrosanctis legibus innixum, aut arbitrarium, soloque Imperantium nutu dependet. Primum dicitur *moderatum*, secundum vero *despoticum*. Utrumque tam in Republica, quam in Monarchia locum habere potest, ut per se ipsum est manifestum.

Praeter communiora haec civilium societatum genera, est et alia regiminis species, foederatio vulgo nuncupata. Haec vero est mutua peculiarium societatum civilium associatio, ad mutua generalia negotia, defensionem praecipue, atque conservationem, communi consensu instituta. Recens rei exemplum suppeditat America; antiquiora alia habemus in Europa. Hujusmodi foederatio non solum multiplici modo, et conventionibus fieri potest, sed et ex singulis societatum generibus superius definitis componi. Omnia haec ex prima Societatum origine, et institutione dependent, atque ex illa tantum intelligi possunt.

§. XXIV.

Principium, seu origo, modus, et natura Societatum civilium: seu unde, quomodo, quid sint Societates.

Humanum genus per universam telluris superficiem habitabilem diffusum, in innumeras fere Societates divisum, sociali modo vivit. Ubi homines, ibi etiam Societates, cujuscumque tandem generis existant. Ubique enim perfectas, atque im-

perfectas, naturales, originarias, factitias, arbitrarias animadvertimus. Ubique enim familiae, familiarum uniones, respublicae, Monarchiae, Societatum foederationes. Si unum aut alterum hominum individuum quandoque invenitur totius Societatis expers; casui danda est rara haec naturae exceptio, a naturali hominum indole, et communi lege aliena. Quaenam igitur generalis phaenomeni, et moralis effectus caussa? Idemne est atque unum tot Societatum, alias inter se differentium, principium? Quonam etiam pacto, atque fine homines natura aequales, et liberi, naturali libertate aliquam partem renuntiata, civilibus Societatibus nomen dederunt, legibus deinceps gubernandi? Quae tandem est civilium Societatum natura? Tria haec, quorum solutio ex alterutrius solutione consequitur, obiter saltem attingenda sunt, ut morales hominum virtutes, officia, vitia vitam Socialem supponentia, definiri possint.

Civilium Societatum principium ipsam esse naturam humanam, homines ad Societates allicientem existimat *Tullius*: mutuum generalem metum *Puffendorf*, et *Bodinus*: vitae pericula et necessitatem *Grotius*. Sunt, qui rem totam ex sola Dei voluntate deducant; sunt, et qui plures etiam statuunt Societatum caussas, pro nationum, temporum, et circumstantiarum varietate diversas. In contractum socialem, tacitum, aut explicitum, hoc est in mutuum hominum consensum rem totam devolvi, communis jam est, et verus hominum sensus. Quid tamen homines impulit ad generalem illum consensum? Aliquane ex dictis modo caussis, naturane ipsa, pericula et necessitas vitae, mutuusne et communis timor, an Numinis ipsius voluntas? Ut nihil de Hobbesio dicamus, cujus opinione naturalis hominum status, universale singulorum in omnes bellum extitit pacis et societatum origo.

Ad primum et commune Societatum principium imo et modum, atque naturam, secundum varias hasce auctorum sententias detegendum, homines ante omnes Societates solivagos, se se tantum respicientes, nullo familiae, amicitiae, Societatis vinculo adstrictos, animantium brutorum more vitam agentes considerant. Atque ex hac purae naturae hypothesi, quae nunquam fuit, est, aut erit, hominumque eo in statu conditione, et accidentibus, humanas Societates parumper formatas esse concipiunt. Falsa haec primitivi status hominum hypothesis in thesim, verumque humani generis statum primitivum mutari potest, ex quo perinde, atque ex hypothesi res tota est deducenda. Ex primi hominis conjugio plures fuere fratrum, sororumque familiae, in plurimas alias cito multiplicatae, quarum capita inter se consobrini, aequales, sui quisque juris, aliique ab aliis loco, genio, rationibus sejuncti, peculiares constituebant, et regebant familias, nullis inter se vinculis adstrictas. En verum humani generis primitivum statum, rationi atque auctoritati sacrae innixum. Non igitur homines solivagi, brutorumque more sylvestrem vitam agentes, prima fuere civilium Societatum elementa. Sed singulares familiae, naturales scilicet, atque originales Societates, suorum quaeque jurium, resque suas seorsim agentes, et hac illac per diversas provincias sparsae. Unde ergo homines in familias, familiae in civiles Societates adunatae sunt?

Amor sui homini cogitanti, propriumque bonum quaerenti innatus, honestus atque a Deo Optimo Maximo inditus; primum illud et universale humanarum actionum mobile, universarum etiam Societatum radix est, atque principium. Quisnam esset hominum, seu familiarum relativus inter se status? Ex nostromet hominum socialium statu, ex Tarta-

rorum, aliorumque populorum more, in primitivo fere statu hactenus viventium, ex humani animi indole, et passionibus quaere. Cum summa esset omnium in omnes licentia, libertas, atque civilis impunitas, cum ambitione, ira, vindicta, libidine, caeterisque humanis passionibus homines in homines commoventibus, nullum esset civile fraenum; quisnam esset licentiae modus, quae fortunarum, vitaeque securitas? Sublatum parumper concipe e civili quacumque Civitate omne legum imperium, omniaque omnibus per leges licere: neque civium mores cessationem legum supplere. Quodnam tum vero morale chaos civium animos agitaret, et domi securos esse permitteret?

En antiquum, atque primitivum familiarum statum minio adumbratum: hominum erga homines, familiarum in familias summa libertas, summa licentia, summa etiam pericula, perennis timor, nulla securitas, precarius infelixque status. In tanto rerum omnium discrimine, et periculis quodnam tandem hominum esset consilium? Quod Helvetici, Batavi, Anglo-Americani, omnesque universim populi amplectuntur, cum magna undique circumstant pericula, praesentia sentiuntur mala, praevidentur futura. Eadem ubique et semper est humana natura. Artificiales factitiique modi, et passiones mutantur; quod fundum attinet, aetas aetatum exemplum est, atque demonstratio. In foedera illico, familiarum populorumque uniones convenitur; ut non modo inter se cessent mutua pericula, sed ab externorum quorumcumque hostium offensionibus, virium communione possint esse securi.

Cum in rebus moralibus actionum finis agendi principium demonstret; si civilium Societatum finem quaeras, principium invenies. Quid vero populorum foederationibus, quid hominum conventionibus, et

consensu ad factitias Societates civiles ineundum quaeritur? Vitae fortunarumque securitas, propria utilitas, pax, animique tranquillitas, mutua eorum inter se beneficia, et commercia: hoc est vitae suavitas, atque felicitas, in hoc mundo sperabilis. Haec vero quaerere, propter haec agere, agendo in proprium bonum et felicitatem semper collineare, quid tandem est, et quonam ex principio descendit? Amorem sui ex humano corde parumper cogitando tolle: se ipsos, vitas, fortunasque suas despiciant homines, nihil de praesenti, nihil de futura sorte solliciti. Tum vero flecterentne animum continua solivagae vitae pericula aut civilis societatis commoda? Contra vero unum in hominibus amorem sui concipe, una cum malorum solitariae vitae experientia, et certa felicitatis spe in civili Societate assequendae. In hac una idearum, rerumve positione naturale, et necessarium Societatum principium apparet.

Neque haec de perfectis solummodo rebuspublicis: qualescumque etiam sint illae barbararum sylvestrium gentium factitiae Societates, quales sunt Laponum, Canadensium, aliorumque populorum ad mundi polos habitantium, unum idemque habent principium. Unde ergo essent, dices, notabilia adeo factitiarum Societatum discrimina; si unum idemque statuitur principium? Quantum enim vero a Groelandorum, Tartarorumve hordis remota sunt Romanum, et Sinense imperium? Quasi ex eodem lucri amore, respondeo, mare non sulcaretur navibus, lembis, scaphis, tabulis male agglutinatis, aut arborum truncis in scaphae modum excavatis. Generalis effectus simplex est caussa humano animo innata: effectuum discrimina ex idearum, passionum, milleque circumstantiarum diversitate pendent.

Et haec quidem de factitiis Societatibus ex plurium

vel hominum, vel familiarum aggregato, atque conventione compositis. Quid si familiae primitivae illae atque originales Societates, naturae ipsius opus, et civilium societatum elementa idem habeant communeque principium? Ita vero res est. Secretiores humani cordis sinus penitius inspiciamus. *Trahit sua quemque voluptas*: en omnium humanarum actionum *epigraphe*, et veluti *epiphonema*: dummodo voluptatis nomine fas aeque intelligamus atque nefas, turpe et honestum. Quod sexus sexum quaerat, matrimonia ineant, in communi Societate vivant; id voluptatis, id f[illegible]ae, id virtutis, officiique amori tribuendum; h[illegible]st, purus amor sui existit. Hinc matrimoniorum perennitas, hinc divortia, et dissolutiones: hinc etiam mutuus parentum, filiorumque amor. Se se enim, remque suam in filiis, naturalibus genitorum imag[illegible], respiciunt parentes: commiseratio praesens, fu[illegible]tilitas sperata officiorum retributio, et senectutis sustentaculum, vita quaedam post mortem producenda, atque nepotum ge[illegible]ratione renovanda; quidam etiam laetitiae et gaudii sensus ex infantilibus lecebris, et gestibus captus; adde praeterea; ex bene instituta filiorum educatione apu[illegible]homines laus, et commendatio comparanda, ex neglecta vero dedecus, et barbarae inhumanitatis nota. H[illegible]c, inquam, paterni, maternique amoris fundum constituunt. Filios quod attinet, cum per longam pueri[illegible]am, humanae speciei propriam, toti a parentibus sint, iis semper praesentes, mille blandimentis, omn[illegible] officiorum genere tractati, si parentibus mor[illegible] gerunt, blandiuntur, socii esse amant; quid tandem haec agendo quaerunt? Ætate se se confirmante, explicataque ratione, diuturna pueritiae, et vivendi consuetudo in naturam fere transformata, beneficiorum acceptorum memoria, et accipiendorum spes, filialis amo-

ris caussa existunt, indolem, et principium ostendunt. Filialis amor aetate plerumque remittit, genitorum vero intenditur: quod filiorum spes, et dependentia fit crescente aetate minor: parentum vero aetate major. Id vero familiarum principium ulterius confirmat.

Incommodus ille et periculosus solitariae vitae et libertatis status, precariam vitam, et fortunam secum deferens, de praesentis mali quaerendo remedio admonuit. Familiis singulis per se se debilibus, et tot malorum complexioni sustinendae imparibus, opus erat, vires ad hostes repellendos, et se se fortunasque servandum augere, hostiumque vires, et numerum minuere. Utrumque inita secum mutuo sociali lege, et foedere assequebantur. Pluribus familiis inter se amico foedere unitis, nihil mutuo ab iis amplius timendum, plurimum a mutuo earum auxilio sperandum. Nova illa liberarum antea, parisque juris familiarum Societas, conventio voluntaria et libera, et mutuo consensu, et alicujus legis constitutione fieri debuit, futura deinceps communium negotiorum regula. Quid enim liberorum hominum conventio, nisi mutuus in rem aliquam consensus? Quid etiam Societas ad communem salutem, vitam, fortunasque tuendum sapienter instituta, quin certa aliqua statuatur lex et modus publicam rem administrandi, tuendi, cui deinceps stare debeant liberae antea familiae, conventionemque, et legem communi liberoque consilio statuentes?

Communi hac conventione pristinae libertati ex parte renuntiatum est, singulis novae legi, omnium voluntate statutae, observandae se se subjicientibus. Atque ex hisce libertatis cujusque civium partibus in commune beneficium, et defensionem renuntiatis publica illa et moralis Jurisdictio componitur, quae

Princeps in civilibus Societatibus nuncupatur. In statu naturali hujusmodi associationis antecedente, summa cuique erat moralis libertas, nulla vitae, fortunarumque securitas. Conventione facta, aliquid libertati detrahitur, statuitur securitas. Libertas post mutuum socialem contractum remanens, dicitur *libertas civilis*, naturali quidem minor, longe tamen felicior. Haec libertas est *moralis facultas omnia faciendi naturali, civilibusque legibus permissa:* naturalis vero definitur; *moralis facultas omnia faciendi naturali lege permissa.* Civili propterea lege primitivo contractu approbata, naturali libertati modus praescribitur, adjicitur securitas.

In hunc modum ex primitivo, et vero humani generis statu civiles Societates coaluerunt; homo, et status naturae in socialem fuerunt mutati.

Quomodo tamen haec, dices, cum historiae fide componere? Quaenam civiles Societates, imperia scilicet, regna, respublicae despoticae, ex praepotentium hominum violenta et injusta invasione? Quot populi a potentiori tyranno sub jugum missi, in novae Societatis partem inviti aggregantur atque nolentes? Scimus, et infelicem hanc multoties fuisse, esse, et fore humanitatis sortem legimus, videmus, praedicimus. Quid inde tamen? Haec forsan fuit primitivarum Societatum civilium a natura ad civilem statum origo, et modus? Nullane ante Nembrot civilis Societas; naturaeque status, diuturnae durationis incapax, per aliquot saecula tenuit? Sed, ne ipsa quidem civilis Societas solo metu facta firma est; verum solo oppressi populi libero consensu, stabilis est et legitima, et in ipsum tandem expressum aut tacitum resolvitur.

Ita vero res est. Homines per naturam intrinsece liberi, ex injusto metu extrinsecus incusso naturalem libertatem nolentes ita amiserunt, ut illius

recuperandae jus omne amiserint ; neque data etiam opportunitate in illam amplius se se restituere possint ? Quasi scilicet homini libero , ab injusta vi in servitutem redacto, nulla liceret fuga : aut a latrone subtrahere non possem quod ab illo mihi fuit injuria, et vi sublatum. Postremus vero hic erit praepotentis invasoris casus, liberorum hominum libertatem vi et metu injusto depraedantis . Vera igitur rei summa est , in hisce naturalis civilisve libertatis depraedationibus, tunc solummodo civilem legitimamque Societatem incipere, cum homines , et populi, vi quidem et metu injuste oppressi, rebus tamen suis praesentibus , et futuris mature pensitatis , satius esse ducunt injusto aggressori nomen dare , illiusque imperio tacite assentiri , quam excusso jugo certas belli strages , vitae , fortunaeque pericula, atque incertum casum experiri. Taciti consensus index tempus, et agendi ratio novo imperio conformis. Cum civiles Societates liberis hominum assosociationibus, et mutuis conventionibus, expressis , aut tacitis fiant, neque sine interno , liberoque consensu esse possint ; quacumque ratione civilia hominum regimina inceperint , omnia in verum *contractum socialem* resolvuntur , ab hominibus liberis , sui, suarumque rerum dominis transactum . Quantae hinc non pendent, definirique debent juris Politici quaestiones , nationum felicitatem , aut infelicitatem spectantes !

§. XXV.

Idem prosequitur argumentum.

Civilium Societatum constitutionem, atque originem paulo fusius prosequamur ; quin Ethicae fines longe praetergressi, per Juris publici provinciam divagemur . Primo quidem homines ante civiles So-

cietates veluti fungos concipere aut statuere per campos, sylvas, totamque telluris superficiem natos, ex nascentes, citra ullam aliorum ex aliis generationem; indeque eorundem mutua jura, officia, et Societatum naturam, originem, leges deducere, id sane esset verum ex falso, lucem ex tenebris quaerere, atque sapienter insanire. Omnes universim homines a parentibus, parentes brevi aut longa generationum serie a protoparente, protoparens a Deo, sumus. Alii ex aliis naturam, educationem, mores, bona physica et moralia habemus: haec vero omnia primo et ultimo a Deo sunt, in Deum refunduntur. Officia igitur hominum erga Deum, seu religio naturalis, et mutua etiam parentum, filiorumque officia, seu societas familiae non ex pacto aliquo et conventione sociali, sed ex jure naturae descendunt.

2. Familiae jam efformatae, et naturali lege et officiis constitutae, dici possunt prima civilium Societatum elementa. In eo rerum statu primum locum semper et necessario habent naturae jura, et officia fratrum erga fratres, hominum erga homines, familiarum erga familias. Haec enimvero naturalia jura civilem Societatem necessario praecedunt, necessarium illius fundamentum. Sublato Deo providente, et vindicatore, naturae lege neglecta, civilis Societas, humanae tantum conventioni, hoc est, labili arenae superstructa, per sese caderet. Quamcumque igitur civilem Societatem statuant homines, aut statutae obediant, salva in iis semper esse debent naturalia hominum jura et officia. Contractu sociali ab hominibus fungorum modo natis, sola eorum voluntate inito, ad Cimmerias umbras amandato, quaestio definienda in hunc sensum redigitur. Cum in omnibus civilibus Societatibus perfectis, Monarchiae illae sint, Aristocratiae, aut Democratiae, jus imperii esse debeat, jus scilicet universam societatem,

personas, res, actiones dirigendi, imperandi, defendendi, vindicandi; unde nam est hoc jus imperii? A Deo ne illud per sese imperantibus, aut imperaturis communicanti; an potius ab hominibus data tam sibi a Deo libertatem et jus in imperantem ex parte, salva semper naturae lege, transmittentibus? Utroque modo rem statuas, jus imperii a Deo tandem acceptum referemus. In priori sensu unus est juris imperandi dator: in altero singulis hominibus liberis jura et libertatem donat Deus; hi vero proprii quisque juris et libertatis partem imperanti cedunt: earum vero partium complexio mentem publicam, jus imperii, et imperantem efficiunt personam, Deo jubente, sacram.

Quaestio in secundo sensu intellecta, duo complectitur, 1. Liberis ne hominibus et familiis jus et libertas competunt, eam sibi justam politici regiminis formam et modum eligere et statuere, quae ipsis magis arriserit? 2. An liberorum hominum sit, non modo imperantem, et reipublicae formam eligere et statuere, sed et jus imperii mutuo consensu imperatori conferre. Praesenti quaestione non comprehenditur Theocratia Hebraeorum a Moyse ad Samuelem usque producta, neque de Rege Saul, et familia David usque ad captivitatem Babylonicam; omnipotentis Dei fuit Theocratia, et familiarum Saul et David in regiam dignitatem vocatio et constitutio. Deo volenti et decernenti nostra mortalium jura omnia cedunt. Quaestio tamen moveri potest de Asmonaeorum Regum inauguratione et constitutione. De hisce igitur et caeteris imperantibus a Noemo per subsequentia saecula eadem debet esse sententia.

Jam vero ex triplici potissimum capite res tota definiri posse videtur. 1. Dispersio Gentium, et civilium societatum constitutio jam inde a diluvio

et Babylonica confusione incepta, et deinceps continuata . 2. Nullum esse videtur jus imperii, quod in liberorum hominum consensu caussam sufficientem non habeat: ex eaque propterea, juxta notissimam philosophandi regulam, merito non descendat. 3. Ipsemet politicae Europae conspectus, multiplicesque in imperantium juribus modificationes, et mutationes a modernis nationibus statutae, satis demonstrant, quisnam sit earundem Gentium sensus.

Quantum ad primum caput, si Deus per se se jus imperii homini imperanti communicat, ejus nepotibus primogenitis per consequentes generationes transmittendum, (haec enim una est sententia, quae probabilitatis specie possit nobis opponi), nullus mortalium post diluvium hactenus extitit ad hujusmodi privilegium Noemo praeferendus. Mirabilis ille Patriarcha, communis nostrum omnium parens, tercentos adhuc annos post diluvium superstes, remotos ejus nepotes longis generationum seriebus multiplicatos, et in diversas jam societates et gentes divisos dirigere et gubernare potuisset, et debuisset; si id muneris a Deo accepit . Idem pari jure de Sem primogenito ejus filio dici deberet. Nihilominus Moysem legenti ne imperii quidem umbra in Noemo, Sem, hujusque filius deprehenditur. A Noemo ex arca egresso sacrificium Deo oblatum, vineam plantatam, pressam uvam, gustatum vinum, et maledictum Chanaan, inverecundae paternae irrisionis caussa, narrat Moyses, paucisque adjectis circa legem a Deo acceptam, altum deinceps de Noemo silentium apud Moysem. Nihil de ejus imperio, legibus, regimine. Quin imo Moyses, transmisso Noemo, numerosam ejus nepotum coloniam a regione circa Ararat, orientalis Armeniae monte, ad Senaar transeuntem prosequitur; totusque deinceps est in hujusce Coloniae historia enarranda.

Quid vero de Noemo? Si conjecturis dandus est locus, (quid autem de remotissimis illis temporibus nisi conjecturae, si Moysis scripta excipiamus?) Si, inquam, conjecturis dandus est locus; Noemus in regionibus circa *Ararat* versus Tibet sedem figens, ubi vineam plantaverat, et terram proinde per plures annos coluerat, ejus nepotes, se se versus septentrionem et orientem late diffundentes, paterno jure direxit, et paulatim versus orientem progressus, ubertissima regione detecta, quae modo *Sina* dicitur, antiquissimi illius imperii, paterno jure semper gubernati, primus fundamenta posuit, nomine *Fohi* ab ejus regionis incolis nuncupandus. Mirum esset si in *Senaar* nepotum coloniam duceret Noemus, nihil tamen de illo diceret Moyses. 2. *Scythae* communi opinione antiquissima omnium gentium natio semper fuere existimati. 3. Imperii Sinensis antiquitas diluvium fere attingens, paternum ejus gentis regimen, lingua, scriptura, antiquorum Sinarum libri, et doctrina, omnia haec, inquam, Noemi tempora, antiquam et primitivam simplicitatem sapiunt.

Sed ad rem nostram. Quo modo Noachidae erga Noemum, eodem etiam erga *Sem*, *Cham*, *et Japhet*, tres post Noemum patriarchas, eorum filii sese gesserunt. Post Babelicam linguarum vel sententiarum confusionem et discordiam, in plurimas colonias divisi, nullo juris imperii respectu habito, res suas agere coeperunt, aliaeque ab aliis in diversa loca recedentes, rebus quaeque suis consulere, societatem civilem inire, leges et regimen statuere: alii monarchiam, alii vero aristocratiam, aut democratiam praeferre. Non eadem jura imperantibus data. Quantum inter Lacedaemoniorum et Persarum, Assyriorum et Sinarum imperantium, quoad haec capita discrimen? Interim quae modo nos agitant passiones, illa etiam aetate damnosa erant hominum

hereditas. Ambitio, avaritia, odia non sunt recentes humanae naturae appendices et additamenta. Quid ex illa rerum conditione atque hominum statu consequi opus erat? E multiplicibus modis, quibus primitiva illa hominum dispersione formatae sunt civiles societates, imperia, regna, respublicae, speciminis gratia unam adducimus. Quid Coloniis debilioribus, intestino saepe civium odio agitatis, omnia a potentiori Colonia timentibus, parumque viriuum quaeque suarum periculo confidentibus, quid, inquam, hominibus eo sui, rerumque suarum discrimine constitutis prudenter agendum supererat? Illud sane quod Hebraeorum postea, Theocratia rejecta, imprudens consilium fuit, atque oratio ad Samuelem: *Regem volumus qui nos defendat ab hostibus*. Sed haec leviter attigisse satis.

Secundi capitis haec summa est. Si aliquod jus imperantis a consensu sociali liberorum hominum derivari non posse videtur, id unum est jus occidendi: de caeteris enim juribus nulla est difficultas. Nullus enim vero hominum se ipsum potest occidere: in imperantem igitur ejusmodi jus, quod non habet, transferre non potest. Attamen jus occidendi civili societati, seu imperanti, integram societatem repraesentanti convenit, et quidem ex jure naturae. Societas est persona moralis, cui perinde ut physicae, seu homini libero, convenit jus propriae defensionis, conservationis contra hostes quoscumque in illam peccantes, illiusque statum evertere, et destruere conantes. Nullus mortalium est, qui homini cuicumque libero jus propriam vitam et fortunas servandi, tuendique inficietur: ex eoque capite jus occidendi non derivet. En igitur jus occidendi in personam moralem ex personis physicis compositam, atque ex hisce postremis et singularibus in publicam et politicam voluntatem deri-

vatum. Leges sunt sacrosancta illa fundamenta et columnae, quibus respublica stat, vivit, et sana conservatur. Leges parumper cogitando tolle: tota respublica et politica harmonia in civile chaos dissolvitur, nullusque remanet sui suarumque rerum securus. Unusquisque igitur civium in leges graviter peccans, in moralem personam seu rempublicam graviter committit; et quantum ex se est in reipublicae vitam hostiliter agit. Haec igitur jure propriae defensionis, conservationis, atque praeservationis, in civem ita peccantem, quasi in hostem utitur. Haec enim vero omnia jura persona moralis in sese habet a physicis illius individuis accepta.

Nullus mortalium, dices, propriae vitae arbiter existit. Memet ipsum occidendi jus nullum habeo: jus ergo in propriam vitam ex me ipso non habet respublica. Unde igitur? Quasi scilicet tu unus, respondeo, personam moralem componeres; et te sublato, respublica non existeret, moralis persona expositis juribus praedita. Ex mille et uno civibus compositam rempublicam parumper concipe. Jus te occidendi, si hostiliter in illam agas, habet respublica ab omnibus illam componentibus, te uno excepto. Quicumque civis existas, mille alii, qui proculdubio personam moralem constituunt, jus te occidendi, si hostiliter agas, in rempublicam transferunt. Mille igitur sunt *dantes*, qui jus et personam moralem perfectam componunt: unus tantum deest. Eo tamen desiderato, persona moralis perfecta suis juribus utitur.

Sed quod tertio loco indicavi, Europaeo Philosopho totius politicae Europae conspectus non leve esse videtur ad praesentem quaestionem solvendam et confirmandam argumentum. Non ego rem a primis Aborigenum parentibus, ab Evandro, Druidis, Celtis, Celtiberis, aut antiquis Germanis, lumen sci-

licet ex tenebris deducam. Moderna et praesens politicae Europae constitutio et contemplatio demonstrationis loco esse videtur. Quantum enim inter imperantium jura in Europa discrimen? Nisi peregrinus fere et hospes in Europa existas, de tuo tantum agello sollicitus, et fruges consumere natus, sequentia facile concedes: imperantes in Moscovia possunt fere omnia, in Polonia fere nihil: non eadem jura imperanti concedunt Hungari, et Austri: alios Belgae, alios vero Bohemi imperii limites agnoscunt, et pro aris et focis propugnant: idem tamen princeps quatuor hasce nationes gubernat. Quaenam in juribus imperii mutationes in Suecia, Dania, Anglia hactenus, et nostris etiam temporibus non exstiterunt? Siquis inter Anglos diceret, Angliae regibus aliquid adhuc juris esse contra famosam *Chartam magnam* fluminibus fere sanguinis extortam, in commune odium incurreret. Adeo scilicet *Charta magna* circumscriptus est antiquorum Regum despotismus, ut si Odoardus primus, vel etiam Henricus octavus in vitam redirent, Reges in Regibus, jura imperii in imperio quaererent. Alia omnia inter Suecos. A Carolo duodecimo despotismus in dies magis semper paulatim languescens, in nihil fere et anarchiae chaos degenerans, communi tandem totius nationis voto et consensu in moderatam monarchiam conversus est. Dum nationes ceterae jura et juga imperantium efficere studeant, quantum possunt, leviora; Dani, exemplo hisce temporibus memorabili, eorum Regibus jura omnia imperii transmiserunt. Famosa Aragoniorum in creandis Regibus formula = Nos, que podemos tanto, quanto vos, e que somos mejores, duque vos, os creamos Rey, se observates nuestros privilegios; e si no, no =. Haec, inquam, formula aut merum est politicum mendacium, aut Ara-

gonensium mentibus latet haec sententia : nostrum est facere Reges , imperii jura dare , restringere , aut tollere .

Ex levissimo hoc specimine facile argumentum deducitur . Unde sunt tanta jurium in imperantibus discrimina? A Deo ne, qui unus semper est , et apud quem non est acceptio personarum ? Ab eodem Auctore Deo eadem jura imperantibus communicarentur: vellent, nollent populi iisdem vinculis tenerentur omnes . Imperantiumne potius voluntati tribuendum , quod acceptis a Deo imperandi juribus in populorum gratiam renuntient ? Humani cordis indolem non saperet ejusmodi renuntiatio . Quin imo disputationis argumentum esset ; possentne imperantes datam sibi a Deo auctoritatem , retento imperio , abdicare. Sed quid quaerimus ultra politici phaenomeni caussam ? Habemus sufficientem et praesentem in ipsorum hominum voluntatibus semper mutabilibus , et pro locorum saepe , temporum , climatum , circumstantiarum diversitate , alia et alia consilia statuentibus , corrigentibus , et mutantibus .

Homo liber , dices , sui suarumque rerum dominus hostem quidem propriae defensionis jure potest occidere in ipsomet praedandi , furandi , aut mortem intentandi actu deprehensum , aut visum . Extra eum casum potestne homo injustum propriae vitae aut fortunarum invasorem occidere? Unde ergo est , quod persona moralis , seu imperans , longo etiam tempore post commissum crimen transacto , latronem aut homicidam ferali cruci appendit? Potestne hoc etiam jus ab hominibus derivari id juris non habentibus? Respondeo . Plura hic dici possent de diverso jure hominis in hostem , furem , aut homicidam in statu societatis , atque in statu naturae : in priori enim statu sub imperio et magistratu vivitur , quorum jura sunt sacrosancta . In secundo vero homo sui tantum

juris est, sibimet ipsi testis, judex, magistratus. Sed ne longius quam par est divertamus, dicere impraesentiarum sufficiat, personam moralem tum solum crimen committi videre, et deprehendere, cum testibus, reliquisque physicis aut moralibus argumentis examinatis, judex civem reum esse pronuntiat.

Objicitur praeterea: in dubiumne verti potest Adamum et Noemum jus paternum a Deo accepisse, familias quemque suas, hoc est numerosissimas gentes et nationes, gubernandi? Natura ipsa, atque ratio rem demonstrant. Ejusmodi autem jus, patriarcha decedente, in quem mortalium transferretur, nisi in filium primogenitum secundum seriem generationum? Respondeo. Argumentum ex ipsamet Moysis historia post diluvium plane diluitur. De jure paterno patriarcharum nemo dubitat; salva tamen remotis nepotibus libertate colonias cuique suas in alias et alias terras deducere, novasque inde societates constituere. Nationum antiquitati insistamus. Quodnam fuit Noemi imperium, in *Sem*, *Cham*, et *Japhet*, ab Ararat in Babel progredientes? Altum de illo silentium apud Moysem. *Sem* primogenitum Noemi minoribus fratribus *Chamo*, et *Japhet* imperasse non legimus. Ubinam gentium sunt trium patriarcharum *Sem*, *Cham*, *Japhet* imperia? In remota illa antiquitate aliud non animadvertimus, nisi gentium dispersionem, colonias ex coloniis egressas nova domicilia quaerere, et certam aliquam patriam, ibique sedem figere, primi occupantis jure possidendam. Testamento ne aliquo tabellarii manu conscripto, remotis nepotibus terras adhuc ignotas diviserunt patriarchae? Liceat rem seriam jocosa magni Regis sententia ridendi caussa confirmare. Americam invaserant, et jure, nescio quo, possidebant Lusitani et Hispani, Gallosque ab ea mundi parte, occupationis jure et armis arcebant. Nescio enim-

vero, dicebat Franciscus primus Galliae Rex, nescio quanam testamenti sui pagina consobrinos meos Reges Lusitaniae et Hispaniae conscripserit Adamus Americae heredes, me vero, ejusdem patris nepotem, ab illa hereditate excluserit.

Sed ad rem nostram regrediamur. Cham, seu Mesraim numerosam coloniam in Ægyptum ducit; multiplicantur gentes; habitatur Ægyptus. Mesraim ne, aut ejus filii primogeniti Ægypto imperant? Minime gentium: quin imo quatuor dynastiae, seu parva regna, Tanais, Memphis, Thebes, Thin paulo post totum Ægyptum dividunt, et negotia quodque sua seorsim agit. Hoc modo Chananaea, hoc modo Syria, et Graecia cultae et habitatae fuerunt. Novis efformandis coloniis, arboresne genealogicae consulebantur, ut ductores ex primogenitis eligerentur? Mirum esset, si fratri minori, consobrino, aut nepoti magna virtute, industria, sagacitate et providentia praedito, praeferretur primogenitus frater mentis inops, timidus, improvidus, et rebus dirigendis incapax.

Antiquam hanc mundi faciem, et primitivarum nationum statum humanae passiones in magna terraquei globi parte ita mutaverunt, ut vix ullum supersit primitivae constitutionis vestigium. Plurima tamen in aliis regionibus remanent primitivae dispersionis exempla. Arabes, Tartari, Americani populi a novo Mexico ad Septemtrionem habitantes, et ii, qui per vastissimas regiones inter Brasiliam et Peru, sine certa sede vagantur, dispersionem Babelicam referunt: liberi quidem homines, suarum actionum domini, ab omni humano imperio immunes, mutuo consensu sese gubernantes, et jura imperii sibi ipsis statuentes.

Tanta ergo est, dices, Sacerdotii supra imperium dignitas? Imperium et imperii jura populo vindica-

bimus ; dum Sacerdotium , ejusque jura a solo Deo accepta fatemur ? Ita quidem , respondeo . Religionem naturalem per se ipsum homines docuit Deus , rationis lumen ipsis donando , quod religionis demonstratio est et magister . In lege scripta , seu Mosaica , non solum Aaronem , ejusque filios ad Sacerdotium a Deo electos legimus , sed Sacerdotii jura insimul atque officia a Deo ipso praescripta . In revelatione vero Christiana rem demonstrant sequentia nulli Christiano ignota : *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos . . . . euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae . . . . Docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti . . . . , et docete eos servare omnia , quaecumque dixi vobis . . . , et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi . . . . Tibi dabo claves regni coelorum : quidquid ligaveritis super terram , erit ligatum et in coelis , quidquid solveritis super terram , erit solutum et in coelis* . En Sacerdotium a Deo institutum , ejus jura praescripta , successionem promissam usque ad consummationem saeculi . Similia de imperio mihi demonstra . Adamone , Noemo , aut alicui ex patriarchis dixit aliquando Deus : = euntes in mundum universum *gubernate* omnes gentes : imperate omni creaturae , . . et ecce ego vobiscum sum . = Hoc unum enimvero novimus primis hominibus a Deo dictum : = *crescite et multiplicamini , et replete terram . . . . et mundum tradidit disputationi eorum* , =

Tertium superest discutiendum postremo loco propositum , *quid rei est civilis societas* . Nomine Societatis plurima significantur admodum inter se distincta , et a praesenti argumento aliena . Rei exemplum sint Mercatorum Societates , multiplicia Collegia , Scientiarum Academiae , Religiosorum Ordines .

Societas civilis est *justum alicujus populi regimen suprema potestate praeditum*. *Justitiae* nomine excluduntur Latronum Societates, cujusmodi fuere *Filibustieri* elapso saeculo famosi. Populus in definitione positus non modo multiplices familias, sed earum etiam bona complectitur. Tria enim haec, personae, actiones, et res rempublicam componunt, atque respiciuntur a lege. *Regimen* multiplicem legem seu jus et facultatem complectitur. Praeter Jus naturae ab homine non impositum, universis tamen hominibus commune, leges politicae, et civiles, atque facultates condendi exequendique leges in principe residentes regimen constituunt, atque supremam potestatem.

Hinc ergo patet *nationem, et societatem civilem* duo esse inter se diversa. Natio ad originem refertur, communemque ut plurimum habet linguam, dialectis multoties variam. Societas ad leges potissimum refertur. Una eademque natio diversas Societates aliquando constituit. Recenti exemplo sunt Americani parentum in Europa degentium non amplius concives. Ex adverso etiam eadem Societas ex pluribus nationibus conflatur. Gallia, Hispania, Russia, Turcarum imperium amplissimae enim vero civiles Societates per se se singulares, ex quali nationum numero singulae componuntur?

Fit nonnunquam, ut integra natio alterius imperio subjecta, propria utatur lingua, moribus et legibus. Plurimis antiquis, recentibusque rei exemplis praetermissis, hujusmodi fuit Hebraeorum conditio sub Romanis Imperatoribus. Cum haec politica phaenomena accidunt: imperfecta totius nationis societas civilis, perfectiori subdita, non nisi cum imperanti natione, cujus tantum est suprema potestas, perfectam componit Societatem civilem.

Pauca haec de humanarum Societatum origine,

modo, natura hoc loco attingenda erant, ut omnium hominum in Societatibus viventium officia ex jure naturali descendentia, Societatis tamen statum supponentia, atque hominum ad alios homines relativa exponi possent. In haeć igitur descendamus, caeteris praetermissis, in quae delibatum modo argumentum, Juris naturalis, et Gentium Scriptoribus proprium, me sponte deduceret.

§. XXVI.

Fundamenta officiorum generalia hominis erga homines.

Officia hominum erga alios homines alia sunt generalia, et omnibus communia, alia vero peculiaria aliquos tantum spectantia. Prima ex communi humanitatis lege derivantia, etsi in quocumque hominis statu locum habeant, ad eaque quod homines sumus, et cum hominibus utcumque agimus, jure naturali teneamur; in societatibus tamen potissimum habent locum, et totum fere exercitium. Posteriora praeter communem humanitatis legem peculiari inter homines relationi innituntur: cujusmodi interveniunt inter parentes et filios, civem et patriam, principem subditum, consanguineos amicos &c. Secunda haec classis qualemcumque Societatem, naturalem, aut factitiam, perfectam aut imperfectam supponit. Status Societatis, naturae hominis adeo conformis atque necessarius, in rei quidem fundo naturalis, quoad plurima item capita, et modum factitius, et arbitrarius, utramque secum fert officiorum classem, eum statum potissimum constituentium, sine quibus esse non potest Societas.

Unde tamen sunt sacrosancta illa hominis erga alios homines officia: amplissima philosophiae moralis, atque Juris naturae, et gentium argumenta?

Aliquod enim esse debet fundamentum, unde tenenda demonstrentur officia illa, quae virtutes morales insimul, et sociales absolutae, aut hypotheticae existunt, et opposita vitia fugienda. *Morales*, inquam, quod morum honestatem, atque hominem moraliter bonum per se se efficiant. *Sociales* vero quod hominum Societatem concilient, et sustineant. Aliqua insuper ex his officiis dicuntur *absoluta*, quod hominem per se se semper obligant: alia vero *hypothetica*, quod in quadam tantum data hypothesi locum habeant: utraque tamen naturalia existunt; quia aut semper, ut prima, aut ex hypothesi, ut secunda, de jure naturae obligent, ad illaque teneamur.

Rem paucis indicamus, fusiori explicatione Juris naturalis Scriptoribus transmissa. *Nulli homini faciendum, quod tibi factum nolles: faciendum aliis, quod tibi factum velles*; duo sunt moralia axiomata universalia, evidentia rationis praedita, a quibus pari etiam evidentia fluunt omnia hominum erga homines officia, Jurisque naturae, et gentium dogmata. Unde tamen mens humana ad hasce veritates elevatur, eas ratiocinando derivat, atque detegit? Amor sui innatus hominibus natura aequalibus, aeque per naturam liberis, sibi insufficientibus, mutuoque a se se dependentibus, brevi ratiocinio, longa experientia ad illa nos ducit axiomata. Sine aliorum ope, officiis, et qualicumque societate nasci, vivere, et contenti esse non possumus. Ad haec omnia a cunis ad sepulchrum alii aliis indigemus: natura aliunde, atque libertate pares. Hominem physicum spectemus, omnibus ab illo detractis politicis, civilibusque gradibus ab aliorum voluntate dependentibus. Nullae principem, aut subditum morales relationes statuant, et distinguant: pura puta spectetur natura. Quid tum ve-

ro homines factitiis ornamentis detractis, nisi ejusdem speciei individua pari conditione donata? Cum igitur naturalis inter homines sit aequalitas, par libertas, eadem conditio: aequalia etiam esse debent, et mutua alterius in alterum jura: quodque mihi in alium, alii pariter in me licet, aut non licet. Ut ita ab aliis aeque tractentur, mutuaque praestent recipiantque beneficia, et officia ad socialem vitam, quo fieri possit, melius, felicitusque exigendam.

Cum igitur aliis mihi aequalibus, parique jure et libertate praeditis opus habeam, multaque ab illis mihi reddi possint et velim, necessaria commoda, possint etiam, et nolim, periculosa incommoda; quorum primis contentus esse possim, secundis autem infelix prorsus debeam vivere; si me amo, *ita cum aliis mihi agendum, ut alios mecus agere vellem*. Simplex morale axioma, duo illa superius posita complectens: *Nulli hominum faciendum, quod tibi factum nolis: faciendum aliis, quod tibi factum velis;* quae ex amore sui, hominibus aequalibus innato, brevi, evidenti tamen, consequentiarum ordine deduximus. Cum enim omnes homines natura simus aequales, nullus sibi sufficiat, alterque alterius ope indigeat, par pari reddenda est gratia; aliique amandi, ut amemur, adjuvandi, ut adjuvemur.

Jam vero a morali illo axiomate omnia hominum erga homines officia sponte fluunt: quae quidem cogitata, dicta facta comprehendunt. Mente seu voluntate, verbo, actione homines de se se mutuo bene vel male merentur. Ex axiomatis sensu, et indole duo intelliguntur officiorum ordines, *negativa*, *et positiva*; quae iterum animo, voce, actione exerceri possunt, et virtutes morales, et sociales, aut opposita vitia existunt. Utrique huic divisioni

insistendo, breve deductionis officiorum ex axiomate potest esse specimen: *si alii faciendum non est, quod tibi fieri nolis*; ergo nulli hominum animo, voce, actione nocendum, temeraria judicia, malevolentia, odia, maledicentia, injuria cujuscumque generis, maleficentia vitam, fortunas, famam prosequens vitanda: haec enim omnia, infinitaque alia numerosae facilisque deductionis capita in nos cogitata, dicta, facta esse nolumus.

Contra vero *aliis nos esse oportet, quod eos nobis esse volumus*: animo igitur, voce, actione, de hominibus universim benemerendum; justa imprimis sui, aliorumque aestimatio comparanda est, ut ex vero personarum, rerum, actionumque merito justa cum omnibus hominibus agendi, et vivendi statuatur regula. Haec vero sine fide, et animi sinceritate, duplici socialium officiorum fundamento? Sinceritas commendari digna benevolentiam, humanitatem, beneficentiam erga omnes secum ferat: pauperibus eleemosynam, afflictis misericordiam, omnibus vero amorem, et, quod summi tandem momenti est, justitiam: quo sane nomine intelliguntur praecipua hominis erga homines, civium erga cives officia. Haec omnia erga te observari officia, ita universim tecum agi velles, quod haec omnia ad beate vivendum sunt prorsus necessaria. In haec igitur argumenta eo ordine descendamus, quo illa, secundum naturae et idearum ordinem, alia ex alias seriatim derivantur.

Officia, et virtutes modo indicatae, de quibus deinceps agendum, alia sunt hominis erga se, et alios, altera alios tantum homines spectant. Prima ad posteriora ordine ducunt: atque ex justa sui cujusque, caeterorumque hominum, rerum, et actionum, aestimatione derivantur.

§. XXVII.

Justa sui cujusque hominis, aliorumque aestimatio; unde humilitas philosophica, et modestia derivantur; opposita vero rejiciuntur vitia, egoismus, superbia, gloria, jactantia, vanitas: quidque rei sint indicatae virtutes, et vitia.

Nosce te ipsum morale illud praeceptum superliminari veterum Philosophorum scholae inscriptum, ut dictu breve, ita sensu profundum, factu difficile, totius moralis philosophiae, imprimis, autem socialis vitae, et officiorum hominis erga homines, debet esse *epigraphe*, et veluti *summa*. Sequemque scire, non modo in sensu physico, sed etiam in morali, studium enim vero, si quod aliud, mortalium omnium proprium, atque necessarium, satis per se ostenderet, quae nostra esse debeant erga alios homines officia, quid alii erga nos existant, et vicissim, quonam modo cum iis agendum, quaenam exercendae virtutes, humanitatis comites, quaenam vitia fugienda Societatis inimica. Hic vero vel maxime illo rationis criterio, eaque animi sinceritate opus est, qua praejudicia ex vitioso amore proprio derivantia corrigantur: se se citra partium studium homines respiciant: ut propria et aliena fidelibus librentur lancibus. Communis hominum praejudicii est, se se velut centrum respicere, quo caetera referantur: et ut Horatii exemplo utar: *Propria alienaque* vitia, et defectus secum quisque bisaccii more ita defert, ut aliena antrorsum pendeant, retrorsum propria; mutatis locis deferantur virtutes.

Hominis igitur est, se se penitissime introspicere, ad commune principium, et finem referre, cum hominibus, et rebus caeteris humanorum affectuum

objectis comparare, ut secundum rerum meritum cogitemus, statuamus, vivamus. Praetermissa modo, nostra hominum erga Deum relatione, non entis fere ad ens illud infinitum, se se brevi hac notione definiens *ego sum qui sum*, quaenam hominis dignitas atque sublimitas, ad res quascumque inanimas comparatae? Hominis inquam, spirituali anima, ratione, libertate praediti, moralium virtutum, et meriti capacis, ad virtutem, ad felicitatem, et immortalem vitam creati, si cum caeteris mundanis rebus horum omnium expertibus conferamus?

Ex alia vero parte homo in se se spectatus, imo et ad caeteros homines relatus, *Quel melange etonant*; *quel etrange probleme*! inquit *Pope*. Infinita imprimis rerum ignorantia laboramus. Quem una aut altera scientia, aut ars utcumque ornat, aliae fere omnes latent, quin et latent etiam ulteriora plurima, atque profundiora propriae scientiae penetralia. Ingenio forsan atque judicio, et prudentia valeo, plurimis aliis aequalis, pluribus etiam inferior. Quantis etiam, et qualibus corpore, mente, animo defectibus, erroribus, vitiis unusquisque nostrum laboramus, nostrorum quidem conscii, alienorum incerti? Aliorum quidem vitia nos saepe latent; sed latent etiam virtutes; milliesque fit, ut sub vili turpique pallio lateat animus te ipso longe honestior. Sublimis sententiae Popii modo relatae commentaria essent integra volumina. *Quel melange etonant*? contradicentium scilicet rerum complexio existimus. Ideae ideis, errores erroribus opponuntur, passionibus, et sensibus ratio, rationi sensus. Spiritus ad sublimia ad caelum aspirat; corpus ad inferiora retrahit. Mecum aliquando tacitus, et otiosus ita cogitabam: si quis planeticola Terram appulsus humanum animal penitius examinaret, et nostra omnia sibi contradicentia attente observaret; merito

quidem exclamaret: *quel etrange probleme?* Hominesne, perinde ut caetera animantia, patriam habent tellurem, an ea conditione in tellure nascuntur, ut alii post alios in alium mundum transmittantur? Tellurem enim ita amant, ut eam deserere nolint. Rursum caelum ita aspirant, ut tellurem dedignentur. Ab uno hoc disce omnes. Quod si a naturalibus ad moralia convertamur, *quisque suos patimur manes*, quorum sibi quisque conscius est, aut vitio non animadvertit. Quis mortalium est, quod meritum morale attinet, qui se aliis praeferendum jure existimet? Ex tot adeo occultis capitibus dependet meritum, ut vix de proprio, ne vix quidem de alieno, statuere aliquid valeamus. Sed esto aliquid a me peragatur, ab aliis praetermissum, aut transgressum. Inde forsan jure existimabor praetermittente melior, aut officio recte functus? Quanta forsan alii iisdem atque ego auxiliis, non praestarent meliora? Cum in infinitum fere protrahi possit humanarum infirmitatum corporis, et animae argumentum, haec una ex omnibus elicitur summa: hominem physico-moralem, cum ex propriae naturae dignitate, tum ex destinato sibi fine, moralibus virtutibus assequendo, ipsamque virtutem, potissimum ejus ornamentum, et obtinendae felicitatis medium, rebus caeteris mundanis longissime praeferenda esse.

2. In se se tamen spectatum mille corporis infirmitatibus, sensuum animaeque passionibus, et moralibus vitiis laborare, de quibus merito doleat, atque erubescat: nullumque mortalium esse, qui officio satisfaciat, ut potest, ut debet, ut alii plurimi, omnibus aliunde paribus, efficerent. Adde etiam, neminem sibi ipsi satis notum, sui definitione semper peccare; amorem proprium, corruptum sui ipsius judicem, male verum examinare: atque, ut laudabilia ultra verum auget, exprobranda minuit, pravus

semper et infidelis suarum rerum definitor.

Si monito illi *nosce te ipsum*, ut opus est, morem gerimus; si quid sumus, quid non sumus, esse tamen et fieri deberemus, inspicimus, et justi aliquando judices statuimus; si naturam humanam, si te ipsum, studium enimvero, atque librum hominis proprium, nullique praetermittendum, meditando inspexisti; meditari autem atque inspicere, officii nostri pars est; si inquam, te ipsum noscis, quantique sis, valeas, debeas, non ignores; quanti, qualesque ex hac tui scientiae radice non germinant fructus? Philosophica imprimis humilitas, cogitandi justitia, modestia, nullam in animo passurae superbiam, falsam, vanamque gloriam, vanitatem, jactantiam.

§. XXVIII.

Humilitas philosophica, modestia, atque, opposita vitia.

Homo, post suimet esse physici, rationalis, atque moralis studium, et cognitionem, se se aestimat infra, vel juxta, aut supra meritum. Primus dicitur aestimator *humilis*, secundus *justus*, tertius *superbus*. Qui propria noscit, et candide fatetur vitia, eumque solummodo a vulgari aestimatione contendit locum, meriti, atque demeriti rationibus statuendum: neque humilitatis, neque superbiae nomine indigitabitur. Est ne tamen in mundo aliquis hujusmodi indole, et charactere praeditus? Problema solutu difficile hunc complectitur sensum: Homone esse potest praejudiciorum ita expers, ut sua, perinde ac aliena, spectet, recteque de iis statuat? In Arte Critica, de praejudiciis disputando, id etiam agitavimus problema. Eo impraesentiarum transmisso; qui de se ipso, de proprii meriti dignitate, de

suimet existimatione relative ad officium, et ad alienam existimationem demisse, et sincero animo sentit et loquitur, humilis nuncupatur. Humilis igitur character est; 1. Sese, propriasque laudes, et merita non praedicare, aut efferre. 2. Ornamenta a Deo, seu Natura dono data, in laudem sibi non referre. 3. Quae aliorum de se existimationi obesse possint, prae oculis semper habere. Humilitas igitur non modo est laudabilis virtus moralis, sed ad virtutes comparandas ex indole sua humilem excitat. Cum menti et animo fere tota insit; omnibusque hominum conditionibus communis esse possit; princeps regali fastu circumdatus, hac virtute nonnumquam est praeditus, dum misella anus mendicitate sua superbit. Definiri idcirco potest humilitas, = sincera propriae existimationis, meriti, et laudis depressio, relativa ad officium, aut aliorum virtutes et laudem. = Si quis humilitatem pro pusillanimitate usurparet, utriusque rei notiones male confunderet. Animi abjectionem per se fert pusillanimitas, ad magna quaecumque aggrediendum incapax: dum ex adverso humilis se se introspiciens, ad officium, ad meriti dignitatem, et virtutes referens, ut officio satisfaciat, beneque de Deo et de aliis hominibus mereatur, naturali aculeo semper incitatur.

Humilitas meritum aliquod supponit, quod qualiscumque existimationis objectum existat. Dicitur etiam opinio, seu existimatio relativa, propterea quod humilitatis sensus duo insimul respicit objecta, se se nimirum ex una parte, ex alia vero alienum meritum, aut propria officia: quorum primum aequare, secundis respondere non existimat. *Naturalis* dicitur, aut acquisita; sunt enim qui nascuntur, sunt, qui studio atque reflexione fiunt humiles. Prima potius quam virtus nativa, quae-

dam indolis timiditas esse videtur, atque sui ipsius diffidentia. Secunda secum defert verae virtutis characterem. Humilitati nihil est cum pusillanimitate, aut abjectione animi commune: quae duo neque moralis, neque physicae virtutis speciem referunt. Humilis est, una cum vili de se ipso existimatione, virili tamen animo semper contendere, ut existimata vitia eradicentur, non praetermittantur officia, supposita aliorum merita comparentur.

Superius illud *nosce te ipsum* humilitatis principium est, nostrimet studium, hoc est praesens illa et habitualis reflexio mentis homini objicientis humanam infirmitatem physico-moralem, officiorum multitudinem, atque dignitatem, commissa jam in officia peccata, continuatum ulterius labendi periculum. Erroribus, dubiis, infinitarum rerum, scientiarum, et artium ignorantia obvolvimur, ad alias quidem inepti, aliarum desidia nostra indocti. Quantum etiam ab aliis hominibus, quoad mores, ingenium, artes, scientias, milleque alia rationis, morum, corporis ornamenta, superamur? Haec humanae conditionis scena, atque sincera imago, ob oculos semper posita, quos in mente et animo excitabit sensus?

Humilitatis igitur character est propria potius cum absoluta, tum relativa demerita, quam meritum cogitare. Consequens inde est, quod humilis sui fere contemptor, aliorum potius aestimator existens, perfectioni studeat, aliorum obsequiosus, et sociabilis. Ab humilitatis tamen charactere non abludit, qui et proprii, et alieni meriti atque demeriti conscius, et se se et alios pro dignitatis ratione aestimat, sibi justus, aliis vero justa aestimatione humanus. Ita agendo una simul cum humilitate componitur modestia, virtus humilitati maxime affinis. Modestiae nomine duplex indicatur sensus, ad mores spectans:

1. Ratio honeste, et decenter loquendi, et agendi: seu potius verborum actionumque honestas. Hoc sensu castitatis comes est, et necessaria appendix, et immodestiae opposita: dicique potest *modestia loquendi, et agendi*: de qua inferius erit dicendi locus. Modestia sentiendi, atque existimationis, virtus quidem humilitati proxima, et perinde ut illa, superbiae, vanitati, jactantiae, vanae, falsaeque gloriae opposita, est *sincera illa de se sentiendi loquendique moderatio, quae se non extollat, alios non deprimat*.

Totam hanc idearum complexionem per se fert vera modestia: earumque aliqua deficiente, falsa tantum est, et apparens. Apparens et falsa humilitas, veram enim jam definivimus, *est superbia fuco humilitatis ornata*. Apparens vero modestia est *vanum modestiae simulacrum*, moderatis verbis contrarium sensum occultans. Humilitas igitur, et modestia apparentes cum vera superbia, et vanitate componuntur: imo et haec duo existunt vitia, sub virtutis specie latentia. Quot vero in humanis Societatibus superbi vanique homines, superjecto iis vitiis velamine, humiles, modestique existimantur? Quot praeterea quod majus est, non modo aliis, sed sibi etiam imponunt, latentemque laudum, atque existimationis ambitionem, negantibus verbis quaerunt, et fugiendi specie consectantur? Occulta adeo latet in penitiori cordis parte, sui ipsius existimatio, et inconsultus amor.

Vera igitur modestia non modo externam verborum, et actionum, sed, quod caput est, internam etiam propriae existimationis moderationem complectitur, aeque a propriis laudibus, atque ab aliorum offensione aliena. Magna de se se opinio, fucato modestiae stilo, proprias laudes in speciem declinans, alienas in praesentia prosequens, communis enim ve-

ro hominum modestiae, et humilitatis character, dici jure potest morale quoddam auri pigmentum, verum scilicet venenum aureo colore imponens. Vera modestia, et humilitas humano animo, non in sola societate, et aliorum conversatione, sed in solitudine inhaeret, ubique comes, et consiliatrix; non modo verba et sermonem dictans, sed etiam opinionem, et sententiam suadens.

Duplex haec virtus, moralis, et philosophica, modestia, atque humilitas, non modo mentem et animum per se se commendant, potissimumque existunt moralis hominum characteris ornamentum; sed homines imprimis reddunt aliis charos, et in societate amabiles. Quanti enim in societate, et conversationibus refert, se se supra alios non efferre, nullum verbo, gestu, aut opinione offendere? Qui ita agit aliorum existimationem profitetur, proprii cujusque amori consulit, bene de omnibus meretur, communem erga se conciliat benevolentiam. Id enim vero est, homines, quo infirmiores sunt, aggredi, vincere, atque volentes alliciendo trahere. Sui, suaeque existimationis unusquisque hominum fere est idololatra. Alienam humilitatem, et modestiam non ex proprio tantum hominis merito, sed nostri etiam opinione, et amore existimamus, ejusque societatem, nos respiciendo, quaerimus. Rem per se non obscuram, clarius demonstrent opposita.

§. XXIX.

Humilitati opponitur superbia, modestiae jactantia: utrique vanitas, et vanagloria.

Superbia, jactantia, vanitas, vana, et falsa gloria peculiares ejusdem vitii gradus existunt, parvo discrimine a se mutuo distincti. Æstimatio juxta rei meritum, aut secundum humilitatis, aut

modestiae sensum modificata, laudabilis est cum intellectus, tum voluntatis virtus, veritati, rationi, humanaeque societati conformis. A justa hac sui aestimatione vitiose declinatur, cum pluris se quisque facit, quam rei veritas, et aliorum merita ferant. Æstimatio enim inter se se utcumque sistens, fere semper est ad caeterorum meritum aut demeritum relativa. Haec vero est superbiae, jactantiae, vanitatis, vanae falsaeque gloriae indoles. Superbus se se microscopio, alios concava lente objectum minuente aspiciens, suique proinde fere adorator, alienaque merita despiciens; suae aeque, atque alienae virtutis falsus existimator existit. Non male idcirco definietur superbia, *immerita propriae virtutis, verae aut apparentis, existimatio relativa*.

Hominem concipe hac mentis, animique indole atque vitioso habitu praeditum. Eum supra alios se se efferre, sibi ipsi de propria virtute plaudere, proprium sibi esse panegyristam, alios interim animo despicere, vel etiam commiseratione prosequi. Hic vero est superbiae character, satis per se se indicans, quibus oriatur caussis, et quos etiam producat effectus. Superbia meritorum comparationem secum defert: posset ne etenim superbire, nisi alii existant, quibuscum se conferat, quibus se longe praeferat, et pluris esse existimet? Virtutem virtuti comparando, suas quidem veras auget, apparentes vero speciosis coloribus ornat: atque utroque modo immerita est sui ipsius existimatio. Inconsultus, et fervens sui amor, insignis ignorantia, praeceps, atque injusta judicandi habitudo, superbiae fontes existunt, et superbi hominis character. Quonam enim pacto tanti se facere, mirari, efferre, alios vilipendere, et animo deprimere, nisi non modo aliorum merita, sed infinita, quae sibi desunt, plane ignoret; nisi se se fere tantum cogitet, respiciat, et a-

met; nisi tandem et aliorum meritis, quae ignorat, et de propriis, quae male examinat, praecipiti injustoque judicio ferat sententiam? In sapientem enim vero, in justum et aequum sui aliorumque amatorem, atque judicem, non incidit superbia: adeo ut sapientis modestia, ita superbi character sit ignorantia.

Superbus, sibi etiam parum cohaerens, et contrarius, in Deum maxime, et alios homines peccat, religioni aeque, atque societati injuriosus, et intolerabilis. Quod enim cum homine alios constanter despiciente interesse potest humanae societatis et benevolentiae vinculum? Qualis etiam erga Deum, dum datum sibi a Deo dignitatis ordinem veluti dedignans, de acceptis a Deo donis, quasi de propriis meritis intumescit, superiora jura, ac perfectiones affectans? Merito igitur inter capitalia vitia primo loco numeratur superbia religione pariter, atque ratione reprobata, humanitati aeque, atque societati contraria.

Quod si haec de homine virtutis aut scientiae praetextu superbo vera sunt, in quibus comparandis meriti locus esse solet; quid, si de divitiis, aliisque fortunae donis, cujuscumque meriti incapacibus, efferatur, et se se magnum aliquid inde esse existimet? Duplex et duplici fundamento distinguitur superbia: alia animi mentisque dotibus et merito, alia materialibus rebus, et fortunae beneficiis innixa. Utraque esse potest de rebus parvi aut nullius momenti, mores, mentem; aut fortunam spectantibus. Utraque praeterea vel intrinsecus in animo latet; vel extrinsecus etiam se se prodit actionibus, gestibus, loquendi, agendique ratione. Hisce vero modis superbia, nomine fere tantum mutato, nuncupatur *vanitas*, *jactantia*, *vana et falsa gloria*; quae sunt superbiae modificationes, aut ejusdem arboris rami.

Caecus, et ardens sui amor eo nos saepe inconsultos ducit, ut grata mentis illusione deliniti, nobisque ipsis fere ignoti, nobis saepe mentis animique virtutes et merita tribuamus, quibus plane destituimur. De minimis plerumque, imaginationis ope amplificatis, nobis animo plaudimus, eaque in gloriae partem reponimus, vani spectri adoratores. Neque hisce tantum suppositis animi mentisque dotibus efferuntur homines: donandum aliquid esset privato huic litteratorum morbo, et qualicumque meriti, atque virtutum speciei. Ob fortunae dona, gemmas, divitias, vestes, palatia, currus et quamcumque aliam externarum rerum copiam, fortunae ut plurimum beneficia, et cujuscumque meriti, atque laudum expertia, insolescere, et animo inflari, commune fere est omnibus hominibus malum. Hisce enim vero rebus alienam de nobis aestimationem affectamus, fovemus propriam, vanum aeque nostri idolum, verum aliis ludibrium. Ita agere, sentire, affectare proprius est vanitatis character, atque in physico vacuo idealis plenitudo. Quid enim vanum magis, atque inane, quam propriae existimationis, et meriti argumentum apud se et alios iis in rebus statuere, quae aut nullius fere momenti existunt; aut ab omni morali merito sunt penitus alienae? Ad rem istam Ovidius: *Et genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.*

Proximum vanitatis fundamentum, et radix est vividum existimationis, laudum, atque gloriae desiderium; quae idcirco definiri potest *immeritae existimationis, et laudum affectatio*. Quorsum enim jactatio, aut laus propriis rebus data? Prima alienae existimationis desiderium; secunda propriae de se ipso argumentum existit. Vanitas nonnunquam in animo latens, sub personatae modestiae specie ex-

trinsecus apparet: saepissime tamen externa internis respondent, horum indices, atque effectus. Utrovis modo ab honestate et rationis dictamine magis recedatur, esse potest problema. Externa haec animi manifestatio, jactantia vulgo nuncupata, alius superbiae, atque ignorantiae index, vera et propria est vanitatis dialectus. Mirum vero est, quantum in hac vanitatis lingua valeant communiter homines, a natura tantummodo rem ipsam docti. Voce, gestu, ridendo, flendo, oculorum ictu, capitis flexione, et quod majus est, ipsamet modestiae phrasi, et vocibus, quodam vocis tono, et inflexione pronuntiatis, luculentum componimus vanitatis dictionarium. Quin etiam mens humana sui maxime studiosa, atque ad laudem, et gloriam captandam ingeniosa, communes civilis urbanitatis formas et loquendi modos, in sui gratiam larvatae modestiae specie usurpat. Id tamen vulgo accidit, ut quantumvis compto modestiae stilo rem suam agat vanitas, jactantia, superbia, alienoque idiomate peroret caussam propriam; vix tamen unquam alii aliis mentito hoc loquendi modo imponant homines. Cum communis mali sibi quisque conscius, aliorum linguam, et sensum ex propria definiat, circa utrumque a natura malitiose doctus.

Haec iterum jactantia omnibus naturalis linguae modis, voce, tono, risu, milleque gestibus, et actionibus exprimitur, quae sunt naturalis passionum internorumque affectuum lingua, artificiali saepe contraria, semperque verior, ejusque aeque atque falsae modestiae proditor.

§. XXX.

Vanitatis, et Jactantiae individuus comes seu vana et falsa gloria, vitiosus alter ramus ex eodem trunco germinans.

Non melius, quam ex verae gloriae notione, quid vana et falsa existant definiemus, perinde ac ex linea recta intelligitur etiam curva, ex virtute etiam vitium. Gloria cujuscumque dati hominis, vulgo a pluribus definita: *consentiens laus recte judicantium*, dici potius debet, *illustre nomen ex virtutis, et rerum gestarum admiratione partum*. Unde tria illa jam superius definita, existimatio, laus, honor, ad gloriam quidem opus sunt, atque in illius definitione facile intelliguntur comprehensa; eam tamen tum solum constituunt, cum iis virtutibus, rebusque gestis innituntur, quae existimationem, laudem, honorem secum ferunt, non qualescumque tamen, sed quae communem extorqueant hominum admirationem. Virtus igitur, et res gestae hominum admiratione per se se dignae et vulgo notae, totius gloriae fundamentum existunt. Paucis haec delibemus. *Nota* diximus: quae enim gloria sine existimatione, laude, honore? Qui autem existimari, laudari, honorarique possunt ignota? Latens virtus, actionesque aliunde praeclarae, ab hominum tamen cognitione remotae, plurimum quidem ad meritum valent, ex testium remotione sincerius, minime tamen ad gloriam ex aliorum cognitione pendentem.

Moralem vero virtutem, atque honestatem primum esse gloriae caput, vel ex eo patet, quod ea desiderata, nihil amplius supersit, quod in homine merito commendemus, rationali naturae proprium, et vera laude dignum. Homo in scenam prodeat rebus gestis aliunde praeclarus, magnumque ab iis no-

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA MANIZOLA

men adeptus. Si recta ratio, moralisque honestas illi non praesit, consulat, dirigat, sed ab effraenatis tantum passionibus ad agendum incitetur, omni moralium virtutum respectu, et consideratione transmissa, gloriosi hominis loco, illustrem sceleratum produces. Quis hominum est hoc nomine, hoc est, rationabilis, humanus, justusque vocari dignus, qui *Cromuelis* nomén, et famam ambiret? At enim in Cromuele non illustria desiderantur facta: rebus tamen ab ipso praeclare gestis majora adhuc scelera.

Primo huic gloriae fundamento res etiam praeclare gestae accedant opus est, et facta per se se illustria, et communes humanae mentis et animi vires superantia. Etsi Aristidem, Socratem, Catonem, ut ex Philosophis in moralis philosophiae exemplum adducamus, milleque alios praeclaros viros, honestate, et moralibus virtutibus tantopere praedicemus, gloriosi tamen laude non donamus, secundum vulgarem hujus nominis sensum communi opinione confirmatum; cum virtus per se se interno lateat animo, lucis publicae nequaquam studiosa, tenebras non fugiat, et cum nominis obscuritate componatur; alia vero plane sit gloriae conditio, publica luce, nominis fama, hominum aestimatione, atque admiratione consistens. Neque satis haec: ea praeterea debet esse hominis virtus, et honestas, res ab illis gestae adeo illustres, ut una cum laude communem post se trahant hominum admirationem. Neque enim facta per se se illustria citra morales virtutes; neque morales virtutes rebus praeclare gestis non ornatae hominem evehere possunt ad gloriam. Virtutis constantia vulgari hominum indole et moribus superior, milleque periculis probata, nullis difficultatibus cedens, factaque etiam magnitudine, numero, aut perennitate humanas vires fere superantia; haec enimvero una sunt, quae suspicimus,

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

quae gloriosa merito dicimus, quaeque citra admirationem non praedicamus. Caetera omnia, virtutum, actionumque gradus, neque in hominibus raros, neque a communi humanae mentis, et animi indole, atque viribus alienos, laude quidem, existimatione, atque honore, non vero admiratione atque gloria prosequimur. Perinde ut in mentis, animique sententiis, ita et in moralibus virtutibus, rebusque praeclare gestis, quoddam est *sublime*, animum per se se percellens, atque in sui admirationem rapiens. Id vero est Gloria, non male forsan definienda: *laudabilis vitae sublime*.

Peculiare hoc esse videtur gloriae paradoxon, hominem fugere illius unice studiosum: ab iisque tantummodo comparari, qui ipsomet virtutum exercitio, actionum splendore, sui quidem semper memores, in virtutem ipsam, bonumque publicum recta collineant: alio modo agere nominisque famam unice respicere, id vero vitiosae ambitionis argumentum, atque vanae gloriae character.

Hisce de vera gloria praelibatis potius, quam pro rei merito discussis, quid vana, quid falsa gloria existant nullo negotio statuetur. Vanagloria, pro interno tantum animi sensu spectata, est *studiosa nominis ambitio*: quod si vividae hujusmodi ambitioni externa desint sincera gloriae fundamenta, tum vero ex ulteriori defectu et vitio recte definietur; *studiosa ambitio gloriae citra fundamentum comparandae*. Utrovis modo rem accipias nil in definitione apparet, nisi vana verae gloriae umbra, atque inane simulacrum. Ea, ut modo dixi, verae gloriae indoles est atque conditio, ut qui sincero, honestoque illius stimulo et amore agitur, non tam nominis existimationem quaerat, quam in vitae honestatem, virtutes, et publicum privatumque bonum per medias syrtes, milleque obstacula heroico ausu

contendat, atque immoti animi constantia. Eum enim vero de propria existimatione parum cogitantem, forsan etiam studiosa modestia fugientem, sequitur gloria; postque equitem sedet illustre nomen. Sincera virtus, atque immota honesti voluntas, et facta per se se magnitudine, difficultate, utilitate, atque honestate illustria, nobilis non quidem nominis, sed virtutis, illustriumque actionum ambitio, verae gloriae character existunt, atque ornamenta.

Alia plane est vanae gloriae natura. Qui hujusmodi morbo laborat, et stimulo veluti prurit, de nomine tantum sollicitus, in illud, transmissa virtute, collineat: virtutumque, atque illustrium actionum loco, earum specie se se nobilitat; vel potius externarum rerum fastu, et apparatu sibi ipsi plaudit, quasi gloriae apicem attigisset, ventosum suae adorationis idolum, aliorum hominum ludibrium. Triste enim vero sincerae virtutis, illustriumque actionum supplementum, et vacuum gloriae et meriti nomen. Satis igitur vanae gloriae nomen constat ex vana voluntatis intentione, vano fundamento, et vano tandem voluntatis actionumque fine. Nihilque propterea in hujusmodi passione non vanum, et naturali rerum ordini non contrarium. Quid enim externus rerum fastus, numerosa famulitia, omnisque divitiarum splendor, et magnificentia, vestes, currus, nobilia impedimenta virtutis, quid, inquam, haec ad veram gloriam? Cum mera fortunae beneficia, aut passionum fructus existant; atque hominibus ut plurimum communia sint virtutum, scientiarum, aut gestarum rerum ornamento expertibus? Haec quidem stupidae, ignaraeque plebi imponere utcumque possunt, cum rerum cortici tantum inhaerens, humanam gloriam, atque felicitatem ex illustri rerum specie, atque apparenti splendore

dimetiatur. Philosophis tamen, penitius objecta inspicientibus, alia plane est de hisce omnibus sententia, communi experientia, et conscientiae testimonio confirmata.

Ex data vanae gloriae definitione, et doctrina hucusque exposita, plura colligimus ad ulteriorem totius rei explicationem facientia, totumque argumentum illustrantia. Et primo quidem hujusce moralis morbi fontem, atque principium esse, sui, rerumque suarum ignorantiam, atque immoderatum amorem. 2. Objectum vero omnia illa existere, quibus nomen comparari posse existimatur: pluresque idcirco dici possunt vanaegloriae species, aut gradus pro objectorum varietate distincti. 3. Peculiarem hujus passionis, seu gloriosi hominis characterem esse, non tam bene agere, quam bene audire, inanibus rebus phantasticum addere pondus, erroreque suo sibi semper complacere, nominis gloriam ex actionibus derivare neque virtutem per se ferentibus, neque prudentum existimatione dignis. 4. Cum ex peculiari hujusce passionis indole, se se tantum respiciat gloriosus, dum etiam beneficia confert, aut actiones praestat per se aliunde honestas; haec omnia ex inverso agendi modo et fine corrumpit: indeque apud Deum, et homines male meretur, unde meritum compararet et gratiam. 5. Et hinc vanagloria secum defert internum hominum recte existimantium contemptum, atque irrisionem: quidquid interim externa urbanitate mentiantur. Quis enim non irrideat militem gloriosum, hominemque per se vanum, aliorumque idcirco contemptorem, aut inique de rebus existimantem? 6. Tandem duplex esse videtur efficacius vanaegloriae remedium. 1. Philosophicum illud praeceptum, *nosce te ipsum*, aeque pronuntiatu facile, atque executione difficile. 2. Alterum moralis philosophiae dictatum: *Secundum internum sensum* .co-

gitandum, *loquendum*, *agendum*. Vanaegloriae est, sibi, et aliis imponere: sibi quidem ex sui ipsius caeterarumque rerum ignorantia; aliis vero ex ratione sentiendi et loquendi, parum inter se conformibus.

Et haec quidem de falsa etiam gloria dici merito possunt; unaque cum altera confunditur, solo fere nomine distinctae. Sed alius praeterea est falsae gloriae gradus, eo nomine et notione dignior. Cum scilicet ex re non modo per se vana, nulliusque apud homines momenti, sed turpi etiam, aut indecora, existimationem et gloriam quaerimus. Da virum principem ex tyrannico gubernandi modo, opinione sua gloriosum. Nihil a vera gloria potest esse remotius, et falsae vocabulo dignius.

§. XXXI.

Contemptus divitiarum, honorum, voluptatum; atque oppositae passiones, et vitia.

Ex eodem illo principio asserto, justa nimirum sui caeterarumque rerum aestimatione, plura alia tamquam ex uberrimo fonte derivantur officia, et virtutes, cum morales, tum civiles, nulli Philosopho praetermittendae. Quot enim studio et contemplatione rerum non ediscuntur comparanda bona, vitanda mala? Quantum etiam inter caecum naturae impetum, atque rationis, doctrinae lumen et ductum interest discrimen? Cum ex primo ad brutorum fere classem deprimamur, versatilis passionum praeda, et veluti ludibrium; ex secundo ad Spirituum ordinem elevemur. Priori modo agere, est, se tantum inconsulte respicere, amare, quaerere; atque propterea semetipsum statuere quoddam veluti centrum, et finem, quo semper collineet, et proprias, alienasque actiones, quasi radios, vergat. Posteriori vero ex rerum ipsarum merito, secundum naturae ordinem

in communem rerum omnium finem collineantes, agimus, ratione semper ducti; in eoque universalis rerum systemātis loco spectamur, quo nos Deus, naturales, humanaeque caussae posuerunt. Tandem ut multa indicemus paucis, nisi ex nostri, caeterarumque rerum studio, et aequa existimatione agamus; id semper accidet, tristi experimento confirmatum, ut materialia bona spiritualibus praeferamus, physica moralibus: plurisque apud nos fiat materialium rerum splendor, et speciosi honores vanitati aeque grati, atque veritati injuriosi, quam sincera virtus, atque animus hisce rebus superior.

Haec eo nos ducunt, ut ex ipsismet notionibus rerum statuamus, quis tandem esse debeat hominum animus circa materialia haec bona, divitias, honores, voluptates, quae nos undiquè circumdant, alliciunt, et post se volentes trahunt, tamquam moralis humanae voluntatis magnetismus. Ex superiori doctrina corollarii loco esse debet philosophica animi apathia, circa tres illas humani cordis illecebras, atque politici mundi primum et universale mobile. Et primo quidem comparanda est divitiarum apathia, paupertas philosophica, affectionis merito nuncupata. Paupertas vel physica est, vel moralis, affectionis, et philosophica. Illa rerum divitiis opponitur, non affectui; haec divitiarum affectui, non divitiis. Sicut igitur divitiae sunt *bonorum ad vitam secundum personae conditionem cum decore conservandam superfluitas*; propterea in rerum possessione usuque consistit, et plurimos complectitur gradus, non quidem copiae, sed relativae bonorum superfluitati respondentes. Paupertas physica est hujusmodi bonorum privatio atque indigentia. Hoc modo spectata neque moralem virtutem, aut honestatem per se ferr, neque pars ulla est humanae felicitatis. Cum rerum indigentia in ordine physico

verum sit incommodum, in morali vero neque avaritiam ab animo excludat, neque ambitionem, aut alienae fortunae invidiam. Quin imo haec moralia vitia, indigentiae ut plurimum socia, in ipsa bonorum copia, et superfluitate oppositis virtutibus, veraeque paupertati nonnunquam cedunt. Illustre enim vero philosophiae monumentum, atque rationis de passionibus sensuum victoria atque triumphus. Haec cum dico, suas etiam, et potissimas religioni cum naturali, tum revelatae partes tribuo.

Paupertas philosophica, seu affectionis est *relativa quaedam animi erga divitias apathia, ex amore virtutis comparata*. Philosophicae paupertatis, seu divitiarum et bonorum apathiae haec una debet esse ratio et caussa, humani spiritus, sapientiae et virtutis cum terrestribus bonis comparatio. Haec etiam apathia ex Dei amore, aut ex temperamenti ratione deduci potest: primum est paupertas Christiana: secundum vero vitiosa otiosi animi corporisque inertia. Sunt quos naturali indolentia et inertia comparavit natura. Sunt qui, ex profundiori rerum atque virtutis aestimatione, parum a divitiis prae moralibus virtutibus afficiantur. Primos quidem dices naturae vitio, et physice; secundos vero virtute et affectione pauperes. Priori illa naturali animi indole transmissa, indolentiae potius, quam virtutis nomine donanda, secunda animi habitudo et status aurea illa est philosophica paupertas Philosopho Stoico, potiorique jure homine Christiano digna. Ex tradita definitione sequentia deducuntur, totius rei summam complectentia. 1. Hac virtute praeditus est, qui non ex naturali inertia, atque insensibilitate, ut non raro accidit, sed ex justa aestimatione, et merito rerum, cum absoluto, tum relativo, attenta semper finis honestate, atque officii ratione, agit. Hisce desideratis, desideratur

etiam moralis virtus, solaque superest physica inertia, atque animi desidia; physicum potius malum, quam morale bonum. 2. Cum divitiarum apathia tota in animo sit, secundum rationis dictamen affecto, non modo cum physica indigentia rerum componitur, sed in ipsa divitiarum copia et deliciis servatur. Homines ut plurimum vel rerum penuria pressi, vel mediocritate, aut copia parum contenti, divitiarum fame, pruritu et invidia torquentur: physico propterea malo morale adhibent demeritum, duplici de capite infelices. In rerum indigentia, mediocritate, aut copia in mundo vivitur: atque in singulis vitae ac fortunae conditionibus altiora respicere, quaerere, inhiare humana est infirmitas. Hujusce autem virtutis character, atque proprium est, in iis fortunae gradibus ita quemque vivere, ut animus de hisce parum sollicitus, indigentia, et divitiis superior, interna semper fruatur tranquillitate. Postremum hoc morale phaenomenon, neque facile, neque rarum, dici quodammodo potest philosophicae paupertatis *sublime*: quod quaerere, atque ostendere rationis provincia est, atque munus: assequi vero Christianae religionis.

Problema esse posset penitiori Philosophorum contemplatione dignum, quaenam morali philosophiae difficilior, indigentisne, an copiosi hominis apathia? Id vero esset abditissimorum animae sensuum analysim instituere, et ex metaphysica caligine quaerere lumen. Eandem forsan producunt difficultatem contrarii duo status, et oppositae conditiones, rerum scilicet privatio, et copia, desiderium, atque fruitio. Sed problematis solutione lectori transmissa, quaeri interim a me potest, totane comparatae rei, aut comparandae, mittenda sit cura? Respondeo; inter curam, et vivam inquietudinem, atque sollicitudinem magnum esse discrimen. Prior illa, rationi atque re-

ligioni consona, servandae vitae providet, et cum animi tranquillitate componitur: posterior autem, rationi et religioni adversa, ab animo tollit et physicam et moralem pacem, quae princeps caput est humanae felicitatis.

§. XXXII.

Honorum apathia.

Honores, eorumque fames, alter sunt virtutis scopulus aeque hominibus carus atque periculosus, quo fere semper morum innocentia naufragio perit. Problema esse potest morale, et politicum; vehementiusne homines per se se alliciant honores, an divitiae. *Per se se* inquam: quod enim usum attinet, et peculiares hominum mores, atque vivendi rationem, bene statuit Horatius, atque confirmat experientia, alios aliis trahi homines, et beatos se se existimare,

Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Lybicis verritur areis.

Unumquemque idcirco nostrum suos pati manes, diversaeque passionis servum pene esse, atque ludibrium. Unde vero haec nisi a temperamento, in singulis diverso, ab educatione, atque modo, quo objecta nos afficiunt, eaque spectamus? Quid rei sit honor superius fuit expositum. Bonum nomen, virtute, ingenio, rebusque praeclare gestis partum, quae una deberent esse honoris fundamentum, nulli hominum potest esse indifferens, si aliquid apud nos valet propria caritas, ratio, religio. Circa honorem igitur hoc sensu intellectum, studiose comparandum, atque servandum, nullus debet esse apathismus, aut indolentia.

Honores hoc loco intelligimus civiles illas adorationes, quibus erga nos idolatrari quodammodo volumus caeteros homines. Multiplicem ad id rei perveniendi viam suggerit humanum ingenium, ad aliis, et sibimetipsi imponendum subtile. Arma, Toga, Scientiae, Artes, Principum gratia, dignitates, atque reipublicae munera honoris gratia ambiuntur, et studiose aucupantur. Occultum hujusmodi honorum fascinum est suavis ille error, atque male concepta opinio, qua, externo cultu et laudibus elati, aliis excellere existimamus; sincerosque esse credimus, et nostro dari merito volumus comicos illos plausus, laudes, cultus, quibus mendax urbanitas se se irridendo demeretur. Tantillo humani commercii et Societatis experientia, et humanorum animorum studio edoceremur, mendacem illum urbanitatis cultum, laudes, plausum non tibi, sed tuis, non proprio hominis merito, sed dignitati, sed alienis externisque hominis ornamentis dari, quibus si versa rota, mutataque scena destituaris, tota illico rerum facies, et comici honores, velut umbra evanescunt.

Humanis igitur rebus penitius inspectis, honorum, de quibus loquimur, natura, conditio, et character esse deprehenditur vanitas, inconstantia, fallacia: ambitione, solicitudine quaesiti, anxietate comparati, timore, inquietudine, rodenti cura fruuntur. Hosce animi tumultus magno pretio, et labore comparatos, cum interna illa pace, atque animi tranquillitate confer, qua Philosophus, prudens rerum aestimator, extra civiles illos vortices vivens fruitur: dum interim homines mediis hisce turbinibus involutos, et honorem semper hiantes, eorumque obtentu infelices, superne despicit atque miseretur. Haec inter se conferendo, supernam Olympi serenitatem, atque procellosas elementorum tempestates et turbines, ad

montis radices furiantes, quodammodo prospicis.

Prudentis igitur, veraeque moralis philosophiae dictamen esse debet, honores quidem mereri, falsos fugere, atque contemnere; veros autem ita prosequi, ut firma semper maneat interna animi tranquillitas. Ita agendo saepe fiet, ut umbrarum instar fugientem sequentium, sequentem vero fugientium, quarum natura in multis referunt, honorem potius fugiendo et contemnendo, quam ambitiosa prosequutione, et tranquillitatis jactura assequaris.

§. XXXIII.

Apathia, et contemptus voluptatum.

Voluptatem divisione potius, quam definitione intelligimus, atque exponemus. Quidquid gratum sensum in anima excitat, nomine voluptatis comprehenditur, et significatur. Aliae tamen sunt, et dicuntur voluptates sensuum, seu sensibiles, aliae vero animae et veluti spirituales, ad mentem et voluntatem spectantes, et spirituali quodam modo animam afficientes. Non quod sensus et anima duo sint in rei fundo distincta: aut sensus functio animae non existat, aut anima sine sensuum ope materialia objecta percipiat. Totum rei discrimen ex actionis principio, organo, et modo pendent. Penitiori totius rei expositione ad Physicam, et Metaphysicam transmissa, voluptatum cum animae, tum sensuum, aliae quidem ratione inprobantur morali honestati contrariae; aliae vero morali quidem honestati per se se non oppositae, hominem a virtute mente et animo colenda distrahunt, et ad alia allicien-do trahunt. Aliae tandem per se honestae, individue virtutum, et sapientiae comites, pura jucunditate animum perfundunt. Ex tribus hisce voluptatum generibus, multiplici modo inter se combina-

tis, omnes universim pendent humanae actiones. En occultum solius vitae moralis, atque rationalis principium, et, si ita loqui fas est, humanae voluntatis elaterium. Voluptare agimus, et agimur, semperque quoad libere vivimus *trahit sua quemque voluptas*, qua tandem vel inscius te ipsum ducis, vel libenter duceris. Aliter philosophari non permittit penitior humanarum actionum analysis. At enim, inquies, contra irritantia oblectamenta, et allicientem voluptatem saepissime agimus. Ita quidem, sed opposita, et alterius ordinis voluptate allecti. Solis sensibus voluptatem tribuere, id vero est rerum nomina, et notiones invertere. Est inter sensum, et rationem perennis fere lucta, et voluptas voluptati contraria. De honesta illa humanarum actionum voluptate, qua bene agendo perfundimur, impraesentiarum non loquimur: quam solummodo contemnere, aut parvi facere potest, quem virtutis honestas per se non tangit. Quae enim eorum esse potest moralis philosophia, primis morum elementis e medio sublatis? Moralis philosophiae et verae virtutis cultoribus, quae in honestate ipsa percipitur voluptas, non modo est desideranda, sed quo fieri possit studio quaerenda. Eadem etiam illius voluptatis debet esse ratio, qua sapientiae studium, cultura mentis, et animi, omniaque moralia ornamenta hominem alliciunt, perfundunt, et post se se trahunt volentem. Praeterquam enim quod moralem honestatem per se ferunt, totius philosophiae, et humanae sapientiae scopum, nos etiam efficiunt Deo gratos, hominibus acceptos, et nobismet ipsis, amicos: pura inde est animi jucunditas, conscientiae approbatio, atque tranquillitas.

Quid ad haec illae sensuum voluptates non nisi innocentiae periculo, aut amissione comparatae, et secundo loco expositae, unicum praesentis capitis

argumentum? Harum duratio brevis, diuturnis, et nauseantibus intervallis interrupta, animae semper, corpori plerumque noxiae, physicum insimul, et morale malum; nulla ab iis in animo pax, tranquillitas; sed perennis potius in voluptate ipsa amaritudo, displicentia, tumultus, et internum a conscientia bellum. Se se igitur introspecto, calculo recte subducto, justa rerum aestimatione facta, philosophia, religione, et conscientia auditis, haec una debet esse conclusio: Meritum, existimatio, honor, interna animi tranquillitas, atque gaudium, quadam virili potius apathia, et contemptu circa hujusmodi passionum voluptates, atque objecta, quam eorum amore et possessione comparantur. Homo hisce passionibus, desideriis, atque ambitioni supereminens, suimet cordis dominus, aliorum miserator, ille mihi esse videtur, qui supra collem in maris littore sedens, tranquillus, et securus, alios interim miseretur Syrenum cantu suaviter paullisper delusos, fluctuum deinceps praedam, ludibrium, et fere semper naufragium.

§. XXXIV.

Vitia superioribus virtutibus opposita, hoc est ambitio, cupido, luxus, libido.

Divitiarum, honorum, voluptatum apathiae, et contemptui opponuntur, prima quidem cupido, et luxus, secunda ambitio, tertia libido. Ambitionis duplex distingui potest species, in idem tandem genus, et notionem recidens. Primam, *ambitio nominis* merito nuncupatam, non inepte definies *vehemens existimationis desiderium*; hoc est vividum se se ab aliis glorioso aliquo nomine et merito distinguendi desiderium. Hoc sensu tot sunt ambitionis, quot assequendi nominis, et gloriosae

distinctionis objecta, et rationes. Ex eorum natura, atque ex ambitionis modo et fine, haec animi passio inter virtutes saepe refertur, et nobile quoddam existit illustrium actionum principium. Quaenam non debentur virtutum exempla, et praeclarae actiones religionis, patriae, sapientiae amori, zelo, et ambitioni, dum hujusmodi passiones in fanatismum et enthusiasmum non degenerant? Ambitio a priori sensu in speciem diversa, *ambitio rerum*, seu *fortunae* vulgo dicta, est *ardens augescendi desiderium*: fortunis scilicet, honore, dignitatibus; earumque beneficio se se elevare, et ad felicitatis apicem contendere. Ad propositum hujusmodi scopum alios aliis adniti objectis, semitis, atque modis; alios solis divitiis tangi dignitatum pene apathos, alios ex adverso unis dignitatibus inhiare, fortunae interim acquisitae prodigos, acquirendae indiligentes; multiciplicesque alias esse hujus ambitionis veluti ramos, hominum allectationes, aeque atque torturam, homines plerumque sibi sunt conscii.

Unde vero haec cum generalis ambitio, tum etiam ejusdem passionis tot in singulis fere hominibus discrimina? Ut nihil jam de innato *sui amore* ulterius repetam, in quem tandem humana omnia, dicenda tacenda referuntur, temperamento, atque educationi res est proxime tribuenda. Physici temperamenti, fibrarumque indolis est, quod alia aliis levius, profundius, suavius, asperiusve nos feriunt objecta: multiplexque et varia sit fibrarum ad objecta, resistentiarum ad actiones proportio. Fibras et spiritus certo sono, cibo, potui immobiles, sensusque propterea expertes, facile alii flectunt, mollius rudiusve agitant, vellicant, rumpunt. Infinitae hisce in rebus combinationes, atque proportionum gradus. Quod si physico principio addas physi-

co-morale, temperamento educationem : in hac vero primas objectorum in organis, imaginatione, et animo impressiones animadvertamus, integra habetur totius rei caussa. Quid objectorum actiones, vacuum sensum primo excitantes, quid rerum praecipue illustrium in imaginatione et mente sese primo, luminis instar, explicantes in anima non possunt ?

Primam objecti actionem tenellae fibrae suaviter et profunde impressam, aliae subinde consequuntur ejusdem sensum et ideam renovatione ulterius confirmantes, educationis ratione ita rem ferente. Eo sane pacto princeps in hominibus passio, et character ex principio physico-morali germinat, explicatur, confirmatur; morte tantummodo mutandus, et delendus. Ambitionis vitium ex concepto actionum fine, atque intento objecto, potissimum derivatur, et dignoscitur : ut modum etiam, et voluntatis intensionem non excludat, qua per fas et nefas ad scopum attingendum contenditur. Si ambitiosae vitae, atque actionum instituta analysi, institui autem interest, loco patriae, communis reipublicae boni, loco sapientiae, atque virtutis, et ut verbo dicam, si officii loco, tu ipse, proprium nomen, gloria, utilitas potissimum appareas, etsi alia objecta, velut umbra, in tabula videantur; tum vero sub gloriae, virtutis, atque meriti specie, sola inest vanitas, virtutis, gloriaeque phantasma. Ambitionis furore abreptis infixum mente deberet esse sanctum illud rationis monitum *quidquid agis, prudenter agas, et respice finem*. Hoc uno prae oculis habito, et scrupulose observato, illa animi passio non amplius damnanda ambitio, et vitium audiret; sed zelus, virtutis amor, et virtus numquam satis commendanda. Utrovis modo agat ambitio, infinita ex illo fonte derivantur mala : plurima etiam

bona, sin minus ambitioso, societati saltem praeter agentis voluntatem utilia: illi enimvero convenit peculiari modo commune alias passionibus munus, esse scilicet humanarum actionum, et ad magna quaeque aggredienda et gerenda latentem in humano corde elaterem, et quandam animorun electricitatem physico-moralem, si ita loqui fas est. Perinde enim ut in mundo physico ex virtute illa (elementari igne nuncupata) in se moventur, conflictantur elementa, alia in alia agunt corpora, omniaque susdeque vertuntur, et sese inde componunt in natura fulgura, tonitrua, tempestates, procellae, turbines, terraemotus, caeteraque mundana effecta peraguntur, simile prorsus in mundo morali politico civili peragit hominum ambitio. Unde enim nisi ex ambitione, latebrosa illa et perennia hominum in homines, nationum in nationes machinamenta, mille in dies fortunarum mutationes, civiles rerum publicarum perturbationes, naufragia, et ruinas secum deferentes? Duplex istud naturalium civiliumque rerum activum principium e mundo physico, et morali cogitando tolle: tum vero vix ulla praesentis status in utroque superesset imago.

§. XXXV.

Cupido, et luxus.

Philosophicae paupertati opponuntur cupido, et luxus. Cupido cum desiderio fere confunditur, solo objecto inter se distincta. Desiderium bona universim omnia respicit, loco aut tempore absentia. Cupido ad bona sensibilia, et materialia, quales imprimis sunt divitiae, contrahitur; definirique generatim potest: *bonorum sensibilium desiderium*. Quid rei sit desiderium quaerere superfluit; clarius enim et distinctius intelligitur simplex hic et primitivus

animae sensus, quam verbis explicari possit. Cupido ita generatim accepta, cum in purum amorem sui resolvatur, est homini innata, atque necessaria: neque cum hujus nominis passione, aut opposita virtute confundenda. Ut hujusmodi existat, ad illa fere tantum extenditur materialia bona, *quibus dolet natura negatis*. Rationabilis idcirco, honestaeque cupidinis, inter duo periculosa extrema, divitias et inopiam positae, objecta esse non debent numerosa factitiae necessitatis bona, usu magis et sensu, quam ratione probata. Sanctum omnibus esse debet illud religiosae philosophiae postulatum, infinita paucis verbis complectens: *divitias, et paupertatem ne dederis mihi; sed tantum victui meo tribue necessaria*. Infra hunc desiderii gradum una est insensibilitas, indolentia morti simillima.

Bonorum materialium desiderium ultra hos fines, et modum, vitiosa illa animi passio cupidinis nomine proprie significata, est *vivum bonorum materialium desiderium, ultra modum et fines ratione praescriptos*. Plus bonis temporalibus tribuere, quam permittat ratio, hominis conditio, ipsarumque rerum natura: bona caduca et divitias, agendi cogitandique ordine inverso, ut finem sibi statuere: nullum esse hujusmodi cupidinis modum; divitiarum flumine et accessione intendi: morali quadam hydrope, a physica parum abludente, divitiis potius esse pressum, obrui, quam earum usu et possessione contentum: haec, inquam, ambitiosae cupidinis effectus, et character existunt; ab aequo rerum aestimatore, a religione, et sana morum philosophia toto caelo alienus. Illud praeterea in cupidine paradoxon, quod passiones natura dissociabiles, avaritiam et luxum saepissime secum ipsa componat. Satis de avaritia dictum: superest de luxu disputandum.

Cupido, nisi sordidae avaritiae associetur, luxum pro rerum copia secum defert. Luxus, communi hominum et nationum voce damnatus, suos tamen habet patronos. Sunt, qui Reipublicae utilem statuant, privatis tamen civibus noxium. Haec, et alia de luxu disputari solita, ex illius notione pendent, quae non eadem apud omnes. De argumento morali aeque, atque politico, et a quamplurimis cum politicae, tum morum scriptoribus luculenter exposito, et diverso modo ex variis principiis et finibus deducto, vix eadem esse potuit auctorum sententia. Ut aliquid in re praesenti statuatur, distingui debet multiplex luxus species; primo quidem luxus publicus et privatus, seu Reipublicae, et civium. Saepe enim, ut apud Lacedaemonios, cives erant pauperrimi, publica autem res magnifica, splendida. Primus in rebus communi nationis nomine et sumptibus extructis, aut peractis: secundus in privato civium fastu locum habet. 2. Privatus pro diversitate rerum luxui inservientium, v. gr. curruum, equorum, mensae, vestium, famulorum, multiplex etiam distinguitur, noxiusque aut innoxius esse potest. 3. Cum politice, tum moraliter spectari potest, et debet; estque propterea et politicae, et moralis scientiae argumentum. Atque de luxu secundum duplicem illum sensum spectato, acerrime disputatur, sit nec ne secundum politicae aut morum regulas bonus. 4. Sed ut haec, aliaeque hujusce argumenti quaestiones possint dirimi, et recte de luxu, cum politico, tum morali sensu philosophari, certa aliqua luxus notio statuenda est: de qua omnibus conveniendum esset. Pro vario enim rei sensu et definitione luxum modo bonum, modo malum pronuntiant, non modo diversi, sed idemmet politicae aut moralis rei Scriptor. 5. Deinde de luxus honestate, aut utilitate politica, et morali di-

cturis, praeter rei notionem, ejusdem etiam caussa, finis atque effectus animadvertendi, reipublicae constitutio, et politicus nationis status et conditio inspicienda. Natio vel divitiis ex proprio fundo, agriculturae potissimum beneficio affluit, vel ex puro oeconomiae commercio, vel artium tandem et manufacturae fructibus, et commercio vivit. Singulis hisce nationum constitutionibus diverso modo convenit, aut adversatur luxus.

Hisce distinctis, de singulis pauca. Luxus, cujus multiplex producitur notio, et sensus, generatim definitur, *usus divitiarum splendidior, quam ferat conditio, fortuna, aut tempora, ostentationis, atque commoditatis gratia*. Ita vulgo acceptum, merito ab omnibus reprobari, Politicae, et moribus contrarium, civibus, patriae, nationi ruinosum, demonstrat rei ipsius notio, objectum, finis, atque effectus, quotidianis nationum exemplis, et ruinis confirmati.

Strictiori sensu luxus est, *propriarum divitiarum usus, ad vitam splendide et jucunde in civili societate ducendam, quin in leges, rempublicam, et civium jura peccetur*. Ita acceptum cum politicae regulis, et morum honestate componi; imo et politicae societati esse necessarium, facile demonstratur. I. quidem est bonorum usus, non abusus. 2. Propriae, non alienae fortunae; quo quidem familiarum ruinis cavetur. 3. Luxus ita accepti effectus est, magno civium, totiusque reipublicae bono, aurum et argentum e divitum arcis extrahere, in commune hominum commercium efferre, per omnes artificum, agricultorum, caeterorumque civium manus, hoc est, totam fere nationem distribuere, indeque artes, agriculturam, commercium, sepulto in arcis auro languescentia, aut mortua, reviviscere, animari, dataque civibus omnibus agendi, laborandi, viven-

di, ditescendique copia, in vivam, hilaremque faciem omnia converti. Quid, quaeso, mali moralis, ruinosive mali ex luxu ita definito consequeretur, dum nil contra leges, jura civium committitur, divitiaeque in proprium, communemque usum et beneficium efferuntur?

Vertatur parumper rerum facies, splendido divitiarum usui succedat tristis divitum avaritia. Quid tum, quibus patrimonium sunt manus, ingenium, artes? Hoc est integra fere natio? Id sane esset; ex paucorum divitiis, plurimorum miseriae. Dum haec disputo, impendiosi hominis mentem et animum suppono a morali honestate minime alienum. Alioquin luxus, Politicae utcumque conformis, a morum regulis abluderet.

Tria hic solvenda praejudicia, aut difficultates. Contra luxum fere omnes declamant: inde nationum miseria et ruina: inde etiam morum corruptio. Respondeo. In luxum definito a me sensu usurpatum nulla, nisi inanis, declamatio, neque declamandi fundamentum. Si, ut fieri plerumque solet, intra illos fines non contineatur, communi etiam declamationi concinam. Tum vero non tam in luxum, quam in luxus abusum feretur sententia. Secundum eademmet responsione, imo et definitione ipsa solvitur. Quaestio esse posset, luxusne mores, an potius mores luxum corrumpant. Facileque esset secundam partem pro virili demonstrare. Si luxus tot secum affert mala, non id innocuo luxui, definitione explicato tribuendum, sed luxui ex corruptis jam moribus corrupto.

Inter luxum generatim acceptum, prodigalitatem, et avaritiam, hoc praeter alia intercedit discrimen, quod primus sibi uni prodesse quaerit, secunda et sibi, et aliis, tertia neque sibi, neque aliis. Luxus prodigalitati, quam avaritiae in speciem saltem pro-

pior, oeconomiae plerumque, moderationi eo semper est contrarius, quod hae intra fortunae fines, secundum prudentiae monita, rem potius, quam rei speciem et fastum ament et quaerant: dum luxus ex adverso, posthabitis prudentiae monitis, transgressisque fortunae finibus, rerum speciem et fallacem personatae fortunae faciem affectat. Luxus propterea individuus comes est animi mentisque vanitas: effectus vero, aut consequentia divitiarum abusus, fortunae dissipatio, morum corruptela.

§. XXXVI.

Castitas, et passiones huic virtuti oppositae.

Generali voluptatum contemptu, et moderamine, quasi philosophiae dictato, et officii parte, hucusque asserto, voluptatum etiam species, virtuti hoc capite propositae, contrarias proscribendas demonstrat penitior rei ipsius notio. Commune ubique principium, ratio, finis, paria hic etiam suppeditant argumenta. Continentia, latiori modo usurpata, omnium sensuum voluptates respicit, definirique potest: *abstinentia a sensuum oblectamentis, etiam lege permissis.* Hominem cogita sibi adeo sancte inimicum, ut nihil fere sibi per sensus indulgeat, ne aliquod inde peccandi nascatur periculum, quales olim extitisse legimus plures in utraque Thebaide Anachoretas: ita vero perfectae continentiae ideam comparabis, religione quidem, non humana philosophia assequendam. Vulgo tamen, et strictiori sensu accepta, carnis libidinem tantum spectat, estque: *activa resistentia, qua carnis stimulos fraenamus.* A castitate igitur, quae libidini tantum vetitae resistit, objecti amplitudine distinguitur, eamque secum defert, non vicissim. Castitate excluduntur, quae aliqua prohibentur lege: continentia

vero, quae sunt etiam legibus permissa. Castitas praeterea omnium sensuum, temporum, locorum virtus existit: continentia uni convenit caelibatui.

Libidinis, continentiae et castitati oppositae, objecta et species silentio potius, et laudabili ignorantia, quam doctrina, et oratione dignae. A natura, vitio nostro corrupta, satis superque hisce de rebus instructos illuminat, admonent, et terrent, ratio, leges, religio. Eo cautius hac in re agendum, quod suavibus, gratisque insidiis nos alliciunt sensus, et imaginatio; rationemque, molestum enim vero veritatis monitorem, surdis canere permittunt; quandoque etiam ejusdem splendorem obumbrant, aut speciosis sophismatibus in sese trahunt reluctantem. Hic enim, sicubi alias, homo sibi aeque et aliis, amicitiae et amoris specie inimicus, cogitatu, verbo, factis, praeceps, et volens trahitur in ruinam. E pluribus communissimi mali remediis, efficacissimum omnium *fuga*. Fuga, inquam, et ab externis objectis, mutuo periculo nos circumstantibus, et ab internis etiam illis hostibus, turpibus scilicet rerum imaginibus, memoria, cogitationibus, quae praesentia semper instando, praesenti resistentia opus habent.

Et haec quidem circa moralem rei considerationem dicta, quae spectari etiam potest, et debet ut argumentum non modo morale, sed physicum, atque politicum. Plurimaque impraesentiarum quaeri possent et disputari secundum triplicem hunc tractandae rei modum. Politica argumenti consideratione praetermissa, qua pro diverso nationum statu, constitutione, religione, et regionis climate, plura agitantur, permittuntur, et approbantur ad caelibatum, matrimonium, et publicam honestatem spectantia; quid potius physica, quid moralis in eas, quibus de agimus, virtutes possint, et praestent, paucis in-

dicemus. Hinc enim tota res pendet. Inde virtutis, inde etiam oppositi vitii principium, caussa, et remedium. Prima vitiosae passionis irritamenta, et stimuli humanae naturae indoli, corporis temperamento, regionis climati danda sunt. Quanta vero et qualia quoad haec principia, et derivantes inde passiones, in nationibus discrimina, et characterum diversitas? Quid quod unus idemque homo pro stationis varietate, diversoque corporis habitu ne vix quidem sibi constat. Nisi moralis caussa, sanaque philosophia, et religio altas animo fixerint radices, morum turpitudo, et honestas barometrum quodammodo est, calor, et frigus, mensa, et valetudo. Hinc homines passim videas minime quidem malos, nulla tamen morali virtute praeditos. Temperamenti, inertiae, rigidiorisque climatis beneficium est mendax illa virtutis apparentia. Physicus potius torpor, atque impotentia, quam mentis et animi virtus. Vitiosa educatio, mores, habitudo, et exempla principio per se efficaci vires addunt; saepeque in dubium verti posset, plusne physica, an moralis caussa opponatur virtuti.

Iis mali caussis opposita in eodem genere adhiberi debent remedia, passionis vires et vivacitatem reprimentia. Potissima passionis physico-moralis medicina ratio, et religio: inter quas, et physicam mali repullulantem semper radicem, perpetua luCta, morte tantum dirimenda. Quibus modis in se se, et in alios vitiosa hac passione contra officium peccetur, silentio potius premendum, quam oratione explicandum. Rem totam doceat religio, dicter conscientia, taceat vero modesta philosophia. Cum principium physicum libidinis sit spirituum copia, habitudine etiam confirmata, morale autem modo dictum: remedia ejusdem generis sunt, moralia quidem motivorum retrahentium cognitio, religio,

contraria habitudo, mentis distractio, nec non passiones aliquot cum libidinis usu parum sociabiles; cujusmodi est avaritia: physica vero sunt, quidquid caussam physicam libidinis enervat, spirituum scilicet animalium, internique ignis dissipatio, aut inducta inertia, lassitudo, virium fractio, aegritudo, nimium frigus, motus, calor, sobrietas, temperantia.

§. XXXVII.

Officia moralia pura hominis erga alios homines.

Praeter jam dicta hominum officia, mixta a nobis nuncupata, humanis societatibus necessaria, est et alius officiorum ordo, societates ipsas propius respiciens: quibus sublatis, neque formari, neque conservari possent. Haec vero sunt pura illa, quae diximus, officia, quibus homines hominibus, cives civibus, morali vinculo obligamur. Horum omnium summa est, *sua cuique servanda jura: nulli faciendum malum, sed omnibus, quod possumus, aut debemus, bonum.* Tribus modis, totum humanum commercium comprehendentibus, haec omnia praestantur: mente scilicet, seu animo, verbis, factis: cogitando enimvero, hoc est, voluntate, loquendo, agendo, mutua hominum servantur, aut laeduntur jura, aliique aliis officiosi existimus, aut injurii. Nisi haec tria sibi mutuo respondeant, menti sermo, sermoni facta, seu actiones, nullum amplius stabile hominum commercium, aut civium societas: et hinc simulatio, mendacium, restrictio mentalis, sermo aequivocus, et affectata illius obscuritas, humano commercio aeque opponuntur, atque officiis. Sentiendo, volendo, loquendo, faciendo de aliis mereri, en hominis et civis in alios homines et cives pura et ri-

gorosa officia. Hujusmodi officia ex humanae naturae indole et veluti fundo deducta, in commune et primum humanarum actionum et passionum principium resolvuntur. Deductionis, resolutionisque modo superius tradito, impraesentiarum praetermisso, atque hoc uno in memoriam vocato, et alta mente retento, *erga alios esto*, *quod illos erga te esse velis*; omnia hominis in homines pura et mutua officia, interna et externa humanitatis, justitiae, aequitatis, animo, voce, actione praestanda sponte evolvuntur. Quodnam vero triplicis hujusce ordinis primum caput, et fundamentum? Sicut *amor sui* totius Ethicae, et universim omnium officiorum fundamentum; ita et benevolentia seu amor erga alios, a primo illo fonte proculdubio derivans, virtutum humanarum et socialium primum caput est, atque radix. Ab hoc igitur socialium virtutum, atque officiorum fundamento initium ducamus.

§. XXXVIII.

Amor et benevolentia: prima hominum mutua officia, et virtutes.

Cum humanae societates, naturales aut civiles, ex ipsomet humanitatis fundo, atque humani animi indole originem ducant; socialia officia, atque virtutes, quibus alii erga alios tenemur homines, et firma constat naturalis, aut civilis, seu politica societas, mens et cor humanum suppeditat. Nomen ipsum *humanae societatis* unionem praesefert, non tam corporum, quam animorum et voluntatum. Quae autem esse possunt societatum fundamenta animo et cordi veluti insita, nisi illa quibus alii de aliis bene meremur, et moralibus vinculis adstringimur? Bene autem de aliis mutuo meremur, alii aliis associamur existimatione, benevolentia, amore, aliisque amoris

gradibus modo indicandis. Attenta etiam facultatum animae simplicitate et indole, hic esse videtur officiorum socialium ordo, *bene de aliis mutuo cogitare*, *bene velle*, *loqui*, *agere*. Quid igitur rei sunt prima haec humanarum societatum elementa, et vincula physico-moralia, *Benevolentia*, *Amor*, *Amicitia*, quibus stat Societas? Quaenam officia ex hisce virtutibus derivantur? Quid etiam opposita vitia, humanae societatis pestes, malevolentia, malignitas, maleficentia, odium, inimicitia? Quonam tandem pacto officii nostri sit haec vitare, illa prosequi? Primo quidem Benevolentia, Benignitas, Beneficentia, Amor stricte dictus, atque Amicitia, species quaedam seu gradus existunt amoris latissimo sensu usurpati: communique fundo, aliisque alii nonnihil superaddunt, aut communem amoris notionem aut modum clarius exprimunt. Amoris socialis nomine ille neutiquam intelligendus, qui *nec modum habet*, *neque consilium*; *ratione modoque tractari non vult*, ut Horatii verbis utar. Affectio enimvero dicenda potius concupiscentis animi, et vacillae mentis convulsiones, quam nobilis illa passio, aut virtus, qua Bonum sponte prosequimur, aliique aliis bene volumus, optamus, facimus. Quid sit Amor, sibi quisque conscientia potius intelligit, quam loquendo aliis explicet. Principium ejus physicum, sensus ratione confirmandus: ne specie virtutis turpe lateat vitium. Existit, aut secum defert boni praesentis gaudium, futuri, aut absentis desiderium. Utrumque ex modo exponendis hujusce affectionis gradibus clarius intelligendum.

Benevolentia, *amicitiae fons a natura constitutus*, ut inquit Tullius, et *otiosa amicitia* ab Aristotele eleganter nuncupata, primus et simplicior est amoris latissime accepti gradus: et primum etiam atque generale hominis erga homines officium, natu-

rae genio, ratione duce. Suavis haec animi affectio, qua erga objectum volentes trahimur, *internum de alterius bono gaudium*, *aut desiderium*, sin minus definiendo, asserendo tamen merito dicitur. Si ulterius petas, quid gaudium, desiderium, et voluntatis tractio? Rem a te ipso quaere, capiente forsan, nunquam tamen responsuro. Benevolentiam humanitatis indoli, rationis dictamini conformem, naturae insitam aliqui dixerunt. Utcumque statuas, ex illius notione consequitur, latere in animo posse: cum sit purus voluntatis actus, et veluti grata flexio in objectum; objecti bonum respicere, eoque uno excitari propria utilitate transmissa; atque propterea honestatem secum ferre: nisi objecti turpitudine dehonestetur, virtutis, officii, benevolentiae et re et nomine amissis; citra ullum commercium, beneficentiam, amicitiam, statim exponendas, concipi, et saepe existere: esse tamen purae amicitiae fundamentum, et basim; ea sublata, numquam superfuturae. *Purae* dixi; neque enim, dum amando, te ipsum, propriam utilitatem respicis, benevolentia moveris, ejusque officia praestas.

Potissima haec Benevolentiae ab amicitia discrimina. Erga plures, immo et erga omnes esse potest, et debet. Non semper mutua: saepe etiam occulta. Neque supponit, neque inducit aequalitatem: sed inter inaequalium conditionum homines mutua, aut non mutua esse potest. Saepe etiam beneficiorum sterilis, et Beneficentia dici incapax. Hominis benevolentia ultra humanam speciem diffunditur, brutaque animantia inter eius objecta comprehenduntur. Contraria omnia in amicitia.

Si internos benevolentiae actus urbano modo et comitate extrinsecus prodas; tum vero *Benignitas* audit: merito idcirco dicta, *Benevolentia urbana comitate alliciens*. Internae igitur benevolentiae ex-

ternos addit alliciendi modos, qui humanitatem sapiant, animumque demonstrent humanum, non componant. Benevolentia gratiarum largitione, praestitisque beneficiis confirmata, novo nomine et effectu priori benevolentiae addito, *Beneficentia* nuncupatur, seu *fructuosa et efficax Benevolentia*. Prima ejus lex est, conformitas actionis cum bono largiendi animo: aliter beneficium, non virtutis index, sed personatae beneficentiae argumentum. II. Objectum praecipue, non se respicere: ne beneficentiae loco et specie lateat egoismus. III. Benefacere quantum, quomodo, quibus permittit, et dictat prudens ratio: ne virtus in vanitatem, profusionem, avaritiam donantis vitio degeneret.

Virtutis hucusque expositae, et triplici vocabulo, discrimina communi fundo superaddita indicanti, significatae, primus gradus est benevolentibus, 2. indifferentibus, 3. vero malevolentibus, malignis, maleficis benevolum, benignum, atque beneficum esse, Hic vero est Benevolentiae sublime, atque heroismus, quem utcumque agnoscere humanae philosophiae; exequi et efficaciter suadere, Evangelicae doctrinae et religionis commendatio est atque sublimitas.

Inter hasce virtutes, atque amicitiam medius est amor proprie dictus, seu amatio: animi affectio intensior, et vividior, quam prima: languidior et inefficacior, quam secunda: atque ab Aristotele *redundantia benevolentiae* eleganter nuncupata. Sed antequam de amicitia; amoris a benevolentia discrimen notum est, ex objecto et indole. Amoris objectum Deus, nosmetipsi, alii homines: et hic quidem dignitatis ordo: exercitio autem et tempore nos primum sentimus, novimus, amamus; deinde, sensu se se explicante, alios homines; tandem, radiante jam rationis lumine, in Dei cognitionem, fidem, et amorem devenimus. Si naturam humanam, si te

ipsum a prima pueritia, et lapsos deinceps annos agentem perpendas; nullum amplius dubium, nos quidem, caeterosque homines benevolentia, benignitate, beneficentia, amore, atque amicitia: Deum vero devotionis amore, pietatis etiam et obedientiae nuncupato, prosequi. Ita enim ens praestantius, imprimis autem rerum omnium auctorem, colimus, de illius beatitudine et gloria delectamur, obsequio, veneratione, et obedientia demeremur. Amor praeterea vel est justitiae, vel beneficentiae, seu humanitatis: prioris est, ab objecti amati offensione removere, et officia debita praestare: posterioris non modo offensionem vitare, sed ad juvandum, et beneficia largiendum induci.

§. XXXIX.

De Amicitia.

Postremus superest atque perfectior amoris, et indicatarum modo socialium virtutum gradus, *Amicitia*; ex benevolentia, tamquam ex naturali fonte derivans. Dignum enimvero Ethicae argumentum: virtus moralis, plurimum in mores faciens, hominibus ad vitam suaviter ducendam, in pueritia, virilitate, senectute necessaria, et praecipuum, late saltem pro concordia voluntatum accepta, socialis vitae fundamentum, discordia semper solvendae. De virtute Ethicae adeo propria, et tanti momenti argumento, multa quaeri, atque disputari digna. Quid rei amicitia; inter quas personas esse possit; quod, et cujus bonum, utile, jucundum, honestum; alteriusne solum, sui fere oblita, an sui semper memor in se se reflectat? Estne a benevolentia, amore, beneficentia distincta, an potius earum complexio? Cum haec amicitiae elementa esse possint conjuncta, divisa, intensa, languida, diversaque etiam bona respicere: quot inde amicitiae species, gradus, minor,

majorque perfectio : quid inter hosce gradus amicitia perfecta : inane forsan objecti vocabulum , omnesque amicitiae inter homines ab ideali perfectae notione abludunt ? Unde vero amicitiae : quodnam earum principium physicum , rationale , morale : quaedam scilicet attractio , convenientia cogitandi , atque sententiarum , et honestas tandem actionum , atque virtutes morales : quomodo intelligendum vetus illud proverbium , in *amicitia aequalitas* : seu *amicitia aequales invenit , aut facit* : principes tandem amicitiae leges , et amicorum officia ? Haec ordine proposita , ordine etiam solvemus ,

I. Quid amicitia ? *Amplexio benevolentiae , beneficentiae , et concordiae* , inquit Aristoteles : concordiam intellige animorum , voluntatum , affectuum, jucunditatem commercii facientem . Definitio per veros effectus atque proprietates tradita . Brevius in eumdem sensum , Amicitia est *identitas moralis* : identitas , inquam , sentiendi , volendi , habendi , secundum honestatis regulas , ad mutuum curarum vitaeque levamen , et socialis commercii jucunditatem inita . Sed haec de perfecta solum amicitia , de qua una intelliguntur effata illa , datam notionem confirmantia , *amicus est alter ego : amicorum omnia sunt communia* , conceptu aeque pulchra , atque effectu rara . Caeterum nulla forsan notio omnes imperfectae amicitiae gradus comprehendens : eo semper imperfectiores , quo longius a data definitione recedunt . Haec interim praeferenda videtur vulgarium hujusmodi amicitiarum notio : *honesta , et activa socialis commercii benevolentia , jucunda socialis commercii habitudo* . Ex dictis plurima de amicitia statui possunt , et propositae quaestiones resolvi .

II. *Amicitia non nisi inter personas rationabiles , immo et honestas , esse potest* . Duo asserimus ex rei notione , pari ratione , dispari consensu

derivantia. Amicitia, inter virtutes morales merito numerata, subjectis hujusmodi virtutum capacibus inesse tantum potest. Quaenam vero illa, nisi personae mente et animo rationabiles, voluntate liberae? Qualecumque igitur sociale vitae commercium in quibusdam bestiarum speciebus observatur, insita quidem dicatur indoles, aut habitudo educatione, et consuetudine ad naturam fere accedens: amicitia vero non nisi improprio et latissimo sensu, moralem honestatem per se non ferente, nuncupanda. Insito naturae sensu se ipsum tantummodo, semper, et necessario quaerere, quae una est irrationabilium animantium agendi ratio, quantum ab amicitiae et nomine et veritate alienum?

Nec satis haec: amicitiam non nisi honestate conjunctam, atque inter probos esse diximus. Improborum igitur commercia, latronum societates, sociales sceleratorum vivendi habitudines, amicitiae tantum umbrae, atque inania simulacra. Mirum esset, homines Deo, sibique ipsis inimicos, nullamque cum Deo, aut secum ipsis pacem, et fidem habentes, neque vitiorum scrupulosos, neque honesti amantes, aliis tantum criminum sociis, et improbitate non dissimilibus amicos existere, servandae fidei scrupulosos, alienae felicitatis solicitos. Quaenam fides, sinceritas ab homine fidem, sinceritatem nihili faciente? Quae etiam vitae et socialis commercii suavitas, gratus illae amicitiae fructus, aut indoles, dum conscientia semper torquente, nulla in animo pax et tranquillitas, dum sese tantum per fas et nefas quaerunt, passionum ludibrium, rationis incuriosi. Amicitia honesto principio innixa, honesta solum quaerens, et honesti amore ducta, alienae felicitatis solicita, propriae fere oblita, ad honestae vitae jucunditatem formata, purae rationis opus, illecebras sensuum fere transcendens, hominum non est hisce omnibus contraria profitentium.

Fit quidem ut improbi aliquando homines, mutuo inter se socialis vitae commercio, et privato foedere inito, et mutua geniali indole ducti, se se invicem colant, frequenter quaerant, et mutuo commercio gaudeant. At si in eorum animum penitius rimemur, non amicitiam coli, sed propriam utilitatem quaeri, curarum et nauseae levamen, rebus propriis subsidium, mutuam saepe in communibus periculis defensionem: hoc est se ipsum jure, aut injuria quaerere. Quantum haec a vera amicitia distant! Vertatur parumper scena. Nulla improbus ab improbo amplius beneficia: nulla civilis commercii suavitas, aut in communibus, privatisve periculis, vitae, fortunarumve discrimine juvamen; omnique sensibili utilitate sublata, una supersit agendi honestas, et quae ex honestate percipitur laudabilis voluptas. Tum vero personata illa amicitia paullatim languescere, mutuatoque, et falso nomine amisso, ipsissimus apparet egoismus, avaritia, turpitudo: virtuti universim, amicitiae vero speciatim opposita.

III. Manifestum inde est, amicitiae ab expositis modo animi affectionibus discrimen, et relatio. Benevolentiam et amorem complectitur semper amicitia: benignitatem vero, et beneficentiam, cum per indolem, et facultates licet. Neque enim animam austeram, aut pauperum tuguria dedignatur amicitia. Quinimo sub austeritate morum saepissime latet Stoica haec virtus, inter pauperes ut plurimum sincerior, inter fastum et divitias verbose mendax. Mutua etiam esse debet Amicorum cognitio, existimatio, charitas. Sed haec omnia seorsim accepta sine amicitia facile concipiuntur, et saepissime existunt. Quotnam enim homines non novimus, magni facimus, charitate prosequimur, quin inter Amicos numeremus? Cognitio, atque existimatio mente peraguntur Amicitia vero animi, seu voluntatis potissima affe-

ctio . Charitas naturalis , de qua tantum loquimur, propria quidem animi affectio, nobilis ille animi habitus , seu propensa voluntas omnibus benefaciendi, homines universim respicit , benevolentiae , et beneficentiae honestate tantummodo ducta, atque innixa. Dum ex adverso jucunda et honesta commercii habitudo, potiori vero jure moralis voluntatum identitas, non nisi inter paucos esse possit .

Dubitari tamen posset , sitne tantum amicitia dictarum modo affectionum complexio ? Sed ipsa amicitiae notio quaestionem solvit . Exposita moralium virtutum complexione mente concepta , neque moralem voluntatum identitatem , neque jucundam honesti commercii habitudinem in illa idearum complexione animadverto . Licet ex adverso , duabus hisce amicitiae notionibus mente conceptis , omnes supradictae virtutes sponte consequantur , veluti amicitiae effectus , atque necessariae proprietates .

IV. Cum amicitia non modo secum ferat , aut complectatur benevolentiam , et amorem , sed praeterea harum virtutum sublimitas existat ; merito quaeritur, quale , quodnam , cujusve bonum amicitiae scopus est , atque amicus amico desiderat , quaerit ? Quaestionis definitio amicitiarum distinctionem secum defert , multiplexque perfectae ab imperfecta discrimen . Hoc enim , non modo ex intensitate benevolentiae , sed potissimum ex illius objecto , atque termino pendet . Triplex bonorum ordo , honestum , utile , jucundum , data modo utilis ab honesto distinctione . Benevolentia vero vel in distincto ejus termino sistit , eumque tantum respicit , vel ad principium reflectit , atque amatum cum amante confundit : vel una cum termino respicit etiam principium . Rursum vel constanti , vividoque affectu , aut languidiori , interruptoque , rem quaerimus , et amicitiae munera praestamus . Mira enim humanorum hujusmodi af-

fectuum varietas, ex eorum indole, objecto, atque intensitate derivans. Triplex illud bonum est proculdubio amabile, atque utrique Amicorum quaerendum. Sunt, qui sola Amici et sui utilitate agunt, eamque unam amicitiae fructum atque argumentum statuunt. Hujusmodi sunt nationum, rerumpublicarum, et populorum amicitiae, foederis nomine nuncupatae. Passim fit, ut inter homines mutua familiaritate utentes, civilis commercii jucunditate cessante, languescant animi, verusque appareat egoismus, existimata antea amicitia. Non desunt tandem, aut non deesse creditur, qui sui fere obliti, nulloque jucundi, aut utilis argumento ducti, honesta omnia amico velint, eumque proprio etiam damno, et incommodo omnibus amicitiae, et humanae charitatis officiis prosequantur.

Ex hisce omnibus gradibus, postremus tantum, si quis existit, est amicitia perfecta. Caeteri omnes, aut languore suo ad otiosam benevolentiam degenerant, vel fucato egoismo amicitiam mentiuntur, imperfectae existunt, vulgarique tantum mendacio nomine illo nuncupantur. Patet igitur, 1. quale, et quodnam sit inter perfectam, et imperfectas amicitias discrimen. 2. Imperfectarum amicitiarum multiplices esse ordines et gradus, inter se admodum distinctos. Quanta et quotuplex in physicis et moralibus hominum temperamentis, animorum indole, agendi rationibus, passionum, affectuumque natura, varietas, et intensitatis discrimen. 3. Imperfectas, vulgo dictas amicitias, earumque multiplicitatem non modo mente concipi, sed reapse existere, iisque fere stare humanas societates, et civilis hominum commercii, atque conversationis suavitatem. Hoc enim utili et jucundo commercio e societate sublato, quaenam tum esset societas, vivendi, conversandique ratio?

Quid tamen de perfecta amicitia? Estne illa etiam

inter homines; an pura tantum idea, atque vocabulum objecto vacuum? In morali philosophia, inquit Fontenelle, sua est etiam quadratura circuli Geometrarum, et lapis philosophicus Chemicorum: haec vero est amicitia perfecta. Dum ita statuit, rem proculdubio intelligit secundum Stoicorum ideam. Perfectam amicitiam haec imprimis constituunt; moralis identitas voluntatum; 2. honestum semper bonum amico quaerere, utile vero et jucundum, cum per honestatem licet: 3. Amicum, ejusque bonum respicere, sui pene oblitum, nullaque interna voluptate ductum. Amicitia ita concepta verus est moralis Philosophorum lapis, in rebus nunquam extiturus. Primo enim perfectam voluntatum identitatem moralem non patitur varia semper temperamenti, sensuum, animi, mentisque indoles. Humanae etiam constitutionis physico-moralis non est aliquid agere, quin se etiam respiciat, aut interna saltem voluptate agendo ducatur. Notissimum illud, *trahit sua quemque voluptas*, omnes humanas actiones comprehendit: ne ipsa etiam charitate erga Deum, aut puro virtutis amore exceptis; qui etsi sensuum voluptatibus, praesentique utilitate nos saepissime privent, ipsa tamen honeste agendi conscientia, atque memoria, ineffabili quodam spiritualis voluptatis sensu perfundimur. Rarum non est, ut in amici gratiam, aut honeste agendi desiderio, rebus nostris neglectis, nobisque etiam fere transmissis, sensibus omnibus, proprioque amore reluctantibus, quae amicorum, quae honestatis sunt, constanter peragamus. Sed in hoc etiam rationis cum sensibus conflictu, et de nobismetipsis victoria, quae et amicitiae, et virtutis sublimitas existit, et suprema philosophiae commendatio, altioris ordinis suavitate animum perfundit ipsamet virtutis, et honestarum actionum conscientia, memoria et commendatio. Id unum innuebat

vetus illud recte philosophantium effatum, *virtus ipsa sibi est praemium*.

Aliquid enim est, quod contra reluctantes sensus, contra insitum illum utilis atque jucunditatis amorem, desiderium, et spontaneam prosecutionem, nos retrahat, fortiusque retrahendo moveat. Dulcem illam ex virtute atque conscientia voluptatem et intimam animi jucunditatem cogitando tolle: tum vero jucunditas, utilitas, sensuum oblectamenta, universale et primum humanarum actionum mobile animum abripiet volentem. Te enimvero respicis, te amas, rem tuam agis, dum solo honestatis amore contra gratos sensuum stimulos, tuarum etiam rerum periculo et damno, per adversa omnia amicum forsan insensibilem, injucundum, ingratum officiosa amicitia prosequeris. Tibimet ipsi, ita agendo, plaudis, tui ipsius victor, de te ipso contentus, humanitate sublimior, atque in exiguo magnarum animarum numero recensendus.

Sed Stoica subtilitate transmissa, humanaque conditione propius inspecta, perfectae inter homines amicitiae notionem et existentiam animadvertamus. Quisque enimvero bene cogitans, honesta volens, sibi ipsi est amicus. Supra humanam indolem et vires non est, ab homine hominem, perinde ac se ipsum, respici, amari, coli, et honesto, jucundoque ejus commercio perfrui, illius sorte, invidenda quidem laetari, miseranda vero affligi: quantumque per facultates, gratiam, et vires licet, juvare. Quid enim impossibiliane docet, et praecipit naturae lex? Hominem igitur da: dari vero per naturae indolem, atque rationis dictamen opus est, hac indole, agendique modo aut a natura donatum, aut rationis dictamine confirmatum. Quid amplius in homine ad perfectam amicitiam desideratur? Opus igitur esse non videtur, amicitiam in sese non reflectere, et

amicum in amicitiae officiis praestandis sese penitus oblivisci. Quid enim, si amicum, ut me ipsum, amem, mea omnia sibi communia esse velim; bona, felicitatem amico desiderem, quaeram, elargiar? Haec vero omnia et sui, et mei gratia aeque exequar, ingratitudinis officiosa hac benevolentia nequaquam fautor? Quod si hominem hisce amicitiae officiis ita prosequaris, uti penitus immemor, ab amico ne gratitudinis quidem argumentum speres, sola ejusdem utilitate et gratia honeste et constanter agas; in hoc etiam, rarissimo illo quidem amicitiae heroismo, et sublimi, te ipsum puriori, ut dixi, voluptate nolens veluti respicis. Sed haec de heroicae, et perfectae amicitiae gradibus.

Mitiori sensu res vulgo accipitur: et amicitiae nomine, significatione vulgari, intelligitur, *honesta et jucunda socialis commercii habitudo, ad mutuum vitae levamen*. Harum idearum complexione posita, intelligitur amicitia, altera deficiente, non amplius intelligenda. Moralis virtutis ratio, amicitiae proculdubio conveniens, honestatem secum defert, atque habitudinis constantiam. Si desideretur jucunditas, ubinam esset constantia, atque vitae levamen, quaesitus ille amicitiae fructus, et quotidiana confirmatio? Sine sociali tandem commercio inesse quidem animis potest existimatio; atque benevolentia, nequaquam tamen amicitia.

Nulla igitur inter absentes amicitia? At amicorum absentiam praecessit olim sociale commercium, memoria et effectibus perseverans, epistolari ut plurimum deinceps confirmatum, atque suppletum. Hisce sublatis, unus inter absentes superest amicitiae fundus, hoc est cognitio, existimatio, benevolentia. Vulgaris haec definitio perfectae etiam amicitiae gradus comprehendere potest: dummodo honestatem secundum Stoicorum mentem intelligas, quo qui-

dem sensu in datas superius perfectae amicitiae notiones recidimus.

Plura ex dictis consequuntur rem totam illustrantia, atque ulterius confirmantia. 1. Amicitia, quocumque modo accepta, non nisi inter paucos coli, atque servari potest. Quo enim pacto, aut jucunda socialis commercii habitudo, aut moralis identitas voluntatum superius explicata in magna hominum multitudine esse potest? Eo etiam de capite a charitate, atque benevolentia distinguitur amicitia: quarum prima omnes respicere debet, secunda autem plurimos potest.

2. Amicitiam a benevolentia multiplici de capite plane esse distinctam. Rem superius demonstratam, iterum indicare satis.

3. Individua adeo est probitatis, atque honestatis comes, ut inter probos tantum atque honestos homines esse possit. Essene potest amicitia sine mutua amicorum fide, et officiorum hujus virtutis observantia? Improbi autem hominis est officia parum curare: quae autem fides homini de officiorum observantia parum scrupuloso?

4. Amicitia igitur nuncupari non possunt sociales commercii et conversationis habitudines, inter homines civilibus societatibus degentes communissimae, quibus alii alios frequentamus. Tempus terere, vitare nauseam, solitudinem, nos a nobismetipsis fugere, ut viliora, et turpiora omittamus, communia sunt objecta socialibus hujusmodi conversationibus quaesita. Ita ferunt tempora, civilis vivendi modus, et humana conditio. Sed quid haec, purus enimvero putusque egoismus, cum amicitia ab hisce agendi rationibus toto caelo aliena? Si hujusmodi conversantium et Societatum penitiores animi sensus, subducto velo paterent, quaenam se proderet scena, omnia praeter amicitiam repraesentans?

5. Amicitia ab animae indole, a peculiari etiam hominum temperamento, et aetate pendet. Quae enim egoistae, morosi, incivilis, contentiosi, et aliorum hujusmodi potest esse amicitia? Primus sui tantum cultor est, atque amator: cum aliis vero nulla commercii jucunditas, aut concordia sentiendi, volendi, agendi. Amicitiam vero excludunt quaecumque commercii jucunditatem tollunt, aut egoismum per se ferunt. Praecipuam in hisce partem habet animi indoles, et sana ratio, ex proprio fundo recte cogitans, ratiocinandi usu, doctrina, exemplis confirmata. Sed quid, si haec etiam ex fibrarum indole, corporis temperamento non parum pendeant? Pendere autem docet Physica. Unde enim mentis, animique fatuitas, deliramenta, praecipitantia, infinitaque alia hujusmodi phaenomena, temporaria, constantia, intermittentia, aut remittentia, quae passim in hominibus, salva spiritualis animae substantia, animadvertimus? Hinc illa senum morositas, sociali amicitiae inimica: hinc juvenilis, virilisque aetatis hilaritas jucunditate sua alliciens, et viam ad amicitiam sternens.

6. Dubium esse potest, et saepe excitatur quaestio, opusne sit inter amicos aequalitas, juxta vetus proverbium, *amicitia aequales invenit, aut facit*. Nullane inter inaequales amicitia? Quae de aequalitate, de similitudine etiam disputatur quaestio. Distinguenda primo aequalitas atque similitudo, moralis, civilis, physica. Æquales aut similes esse possumus temperamento atque aetate, dignitate, moribus, divitiis, vivendi modo, professione, scientia. Quaestio fere tota est de aequalitate et similitudine dignitatis atque potentiae. Quod reliqua attinet capita, planum est, inter homines temperamento, professione, scientia dissimiles, atque inaequales constare posse amicitiam. Problema longa discussio-

ne tractari solitum, brevi oratione definiemus.

Quaecumque inaequalitas liberam civilis commercii jucunditatem impedit aut tollit, cum amicitia aegre componitur. Rarum vero est morale phaenomenon, si in magno fortunarum, dignitatumque discrimine mutua utrimque loquendi, conversandique libertas existat, simplexque et sincera cordis expansio. Iis desideratis, nulla amplius vera conversationis jucunditas. Id etiam fere semper accidit in magno aetatum discrimine. Quaenam commercii jucunditas, quaenam etiam moralis voluntatum identitas inter vivacem laetumque adolescentem, et morosum, cogitabundum, molestumque senem? Aliis annis, aliae ideae, aliae curae, et oblectamenta. Singulis humanae vitae aetatibus suae respondent passiones, affectus, curae, et voluntatis incitamenta. Ab uno ad aliud gustus objectum transimus, sensimque gratae olim titillationes in languorem, nauseam, aversionem degenerant. Id unum superest, et fere semper accidit, ut in hoc dignitarum et potentiae discrimine vices amicitiae gerant, nomenque etiam usurpent aestimatio, benevolentia, charitas, communia alias amicitiae supplementa.

Hactenus quid, et quot sint amicitiae species, et praecipua ejusdem accidentia. Exponenda supersunt amicorum munera, atque officia. Cum amicitiae elementa, et veluti fundus existant benevolentia, amor, beneficentia, charitas; primum amicorum officium debet esse, sibi mutuo praestare quidquid relatis virtutibus agitur. Quot et quanta paucis complectimur! Singillatim igitur primo: sese mutuo aestimare, atque internae aestimationis argumenta pro tempore, et loco edere. Sine existimatione ne idea quidem amicitiae; sine publica ejusdem demonstratione nulla etiam illius species.

2. Interna animi benevolentia se se mutuo prose-

qui: amicum, et quaequae illius sunt, tamquam se, suaque respicere: de illius sorte gaudere, laetari, dolere, contristari, pro felicis, infelicisve casus, et rerum merito, et dignitate.

3. Neque sterili tantum benevolentiae standum. Ad beneficentiam etiam secundum facultates atque prudentiae regulas deveniendum: alterque altero confirmetur affectus. Nisi ita fiat, quid amicitia, et mutua amicorum officia, nisi purae nugae, urbana mendacia, atque personatus egoismus alieno idiomate loquens?

4. Amico igitur consilio, doctrina, conversatione, opibus, ad curarum levamen, vitae solatium, adversae fortunae remedium, prosperae confirmationem, juvandum. Haec vero sponte, Amico etiam nolente, invito quoque, et inscio, si fieri potest. Id quidem sanctioris, et purioris amicitiae argumentum: quin se respiciat, quaerat, imo et cum suarum quandoque rationum damno, transmissa etiam reciprocae gratitudinis et gratiae spe, agere, illaque solum voluptate duci, quae animum suavissime perfundit, movet, et trahit, honestarum actionum, atque heroicae virtutis conscientia.

§. XL.

Affectus et vitia Benevolentiae, atque Amicitiae opposita.

Expositis modo animi affectibus et virtutibus, humanarum societatum vinculis, opponuntur odium, multiplexque odii modificatio et gradus; malevolentia scilicet, malignitas, maleficentia, inimicitia, earumdem Societatum pestes, atque dissolutio. Odium, digna amoris sui soboles, et mala radice pejor adhuc ramus, est *vivus quidam tristitiae atque displicentiae sensus, ab objecti existentia aut qua-*

litatibus in animo excitatus. Ad objecta rationalia, animalia etiam et inanimata terminatur odium. Cujuscumque naturae sint res odio habitae, tota odii ratio in damnum, verum aut existimatum, physicum, aut morale, ab objecto in nos derivatum refunditur. Neque enim in animo excitari potest afflictio, si nulla in animo est afflictionis caussa. Ad id vero satis est non modo verum malum, sed existimatio existens mali non existentis. De animae enim passione agitur secundum intellectus ideas, et judicia sese semper attemperante. Quoties enimvero hostem fingimus, quem odio habeamus, hominemque de nobis forsan benemeritum, non hostem, non molestum, nihil de nobis cogitantem aversamur, vitio tantum nostro, atque imaginatione odiosum?

Odium esse peculiarem et intimum animi dolorem, nos docet ipsamet rei notio, sensus, conscientia. Quid enim intimus ille tristitiae sensus et afflictio, quo veluti aculeo ex objecti praesentia, aut memoria pungimur, et cruciamur? Cum igitur dolentis sit, ex innato sui amore veram aut existimatam doloris caussam tollere, hinc illa est continua osoris cogitatio, ad doloris et tristitiae levamen, objectum odii e rebus, e praesentia, aut ex memoria tollere, aut etiam, sumpta vindicta, malum malo medicare. Odio igitur semper inest quaedam desiderii species, qua odiosi objecti destructio, remotio, depressio, humiliatio, ad animi afflictionem levandam desideratur. Et haec quidem de illius odii natura, indole, et origine; quae est vitiosa passio, orta ex ignorantia naturalis aequalitatis hominum, mutuorum officiorum, nostrique et alieni juris, atque ex injusto sui amore, qualecumque passionum impedimentum aegre ferenti. Haec, si ex animo tollas, aut repullulantia semper comprimas, si inde alios in te peccare animadvertas, unde tu in alios peccas, ex ignorantia,

ex humanae naturae infirmitate, ex passionibus, aeque in aliis, atque in te ferendis; si supremam animi celsitudinem, summum moralis philosophiae apicem existimas, inimicos ipsos excusare, non aversari, et quod divinum est, diligere: tum vero, avulsa mali radice, universalis benevolentiae exemplum evades, non ad Stoicorum vanam est sterilem doctrinam, sed ad divinum Assertoris nostri dictatum: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos . . . orate pro persequentibus, et calumniantibus vos*.

Est et aliud odium, quod unum in hominibus esse deberet, a vitiosa passione toto caelo diversum, et praevia ad omnes morales virtutes dispositio, et fundamentum. Id vero est *constans animi aversio ab omni malo morali*. Id unum objectum est odio dignum: id unum odisse, generale existit hominum officium; dum rationalia objecta odio habemus, ex culpabili etiam ignorantia, in aliena jura peccamus.

Plures numerantur hujus passionis gradus, et modificationes, indole, intensitate, effectibus inter se admodum diversi. Primus et mitior odii gradus, malevolentia est: *internum de alieno malo gaudium aut desiderium*: seu pura alieni mali voluntas: idem fere, atque malitia; nisi quod haec animo alienum malum discernenti et volenti nonnihil astutiae superaddit. Animus primis tantum hisce odii gradibus affectus nihil atrocitatis odioso objecto intentat, aut meditatur: levioribus contentus, propria vel aliena manu illatis, ab extremis abstinet malis, malignitate, lethali odio, atque capitali inimicitia quaesitis.

Malignitas enim, animi indoles, aut effectus dictis modo vitiis intensior, est *profundior in animo malitia*: secreta ut plurimum dissimulatione, atque per

cuniculos tenebrose agens, majoraque damna, aut vindictam secum occulte statuens: eaque propter maleficentiae, cum fieri potest, fere semper individua comes, aut gradus ad istam proxime ducens. Postrema haec vitiosa animi indoles et dispositio, superiora secum complectens, atque operosa malevolentia et odium merito nuncupata, non jam, ut superiora, animo latere, per cuniculos agere, parva meditari contenta, eorum malitia servata, fines transgressa, in rem et facta descendit, damnaque majora, aut minora, dicenda, tacenda committit, aliis odii gradibus concepta, probata, atque desiderata.

Una post haec superest peculiaris malevolentiae species, ex *corrupta amicitia odium*, inimicitiae nomine nuncupatum. *Corrupta*, inquam, *amicitia*, quod inter illos potissimum aestuet, inter quos fuerat jam, inceperat, aut esse debebat amicitia. Aliunde enim omnium hominum animos inficere potest morale hoc malum per omnes odii gradus a mitiori ad laethale usque odium, et ultra etiam sese intendendi capax. Si omnia amicitiae notioni, proprietatibus, effectibus, atque officiis contraria concipias, inimicitiae ideam comparasti.

Omnia haec humanorum animorum vitia, et infirmitates physico-morales, ex inconsulto amore proprio, ex officiorum ignorantia, educationis defectu aut vitio, religionis contemptu, et majori, quam par est, sui ipsius existimatione. Religionem audi, et aliis esto, quod alios in te esse velis: paria et mutua esse hominum jura ratum habe: haec insuper ex profunda rei meditatione apud te statue, inimicitiam impotis animi esse, sibi male temperantis, passionumque viribus, vilium animarum modo, hac illac abrepti; turpitudine sua hominem dehonestare, et cum interna pace et tranquillitate non componi. Contra vero in animo aliorum inimicitiis, et inju-

riis lacessito, sui tamen domino, illa sciente, despiciente, donante, suprahumanum aliquid, rationis, atque virtutis triumphum admirari opus est.

§. XLI.

Beneficentiae, atque Benevolentiae consectaria, seu Liberalitas, Generositas, Humanitas, atque Beneficentia.

Ex Beneficentia, atque ex aliis honesti amoris modificationibus, consequuntur praeclara illa animorum ornamenta, Liberalitas, Generositas, Magnificentia, Magnanimitas, nobiles officiorum appendices, atque virtutum additamenta. *Liberalitas*, ut ab earum infima incipiamus, est *prudens donandi facilitas*. Nisi prudens sit justitiaeque proinde, et honestati conformis, moralis etiam non esset virtus. Quid vero est prudenter donare, nisi quod, quibus, quomodo, et quando conveniat, atque ob honestum finem? Haec vero libenti semper animo praestanda, ut facilitas esse possit, atque intelligatur. Nisi haec omnia insimul sint, neque virtus erit, neque, nisi in speciem, liberalitas.

Liberalis igitur hominis non est, cum facile libentique animo donet, divitiarum aviditate flagrare, neque ad aliena injuste invadendum pronum, atque ad petendum facilem. Caro enim constant precibus empta. Summa vero hac pretii caritate non emitur, quod ex donandi facilitate plurimi non fieri demonstratur. *Flagrare*, dixi, neque enim divitiarum amorem excludit liberalitas. Quin imo cum donare maxime amet liberalis, donare autem, donandis rebus desideratis, vocabulum sit idea, et objecto vacuum; haec virtus secum defert prudentem, et aequam acquirendi, et acquisita servandi voluntatem. Citra donandarum rerum copiam, sua-

met virtus homini liberali est molesta, caeteris vero inutilis. Prudens acquirendi voluntas nuncupatur *Providentia*: virtus quidem commendanda, cum rapacitatem excludit, atque rerum negligentiam. Voluntas vero conservandi, frugalitas vulgo dicta, atque oeconomia, prodigalitati, et sordi opponitur.

Liberalitas ex objectorum conditione, et donorum magnitudine, et multiplicitate diversarum virtutum nomina sortitur. Liberalitas erga pauperes, nomine, et objecto contractis, nuncupatur *Eleemosyna*. Erga advenas et peregrinos *Hospitalitas*. Erga infelices *commiseratio*. Si tandem nobili quadam animi dignitate, atque elevatione cogitando, agendo, donando exerceatur; tum vero dicitur et est *generositas*. Haec igitur definiri debet, *liberalitatis sublimitas*. Illam scilicet virtutem modo, objecto, re, et spiritu, si ita loqui fas est, longe excellit. Praeter spem, ultra spem, sperantibus, et non sperantibus, egentibus, et non egentibus donare, benefacere, preces antevertere, egestatis verecundiae consulere, quin laudem, gratiamve inde referre intendat: en genuinum generositatis characterem. Quod si, ut aliquando evenit, ad Evangelii normam occulta manu paupertati subvenit; tum sane generositas, fines humanitatis supergressa, eorum sola est, *quos ardens evexit ad aethera virtus*. Haec una in se complectitur humanitatem, beneficentiam, liberalitatem, animi magnitudinem, dicique merito debet harum virtutum summa.

Qui igitur ex vanitate, ostentatione, honoris, et gloriae caussa, ex politicis rationibus, aut conditionis decentia liberalis apparet, fallaci liberalitatis larva, sibi et aliis imponere adnititur. Ex data modo notione facile intelligitur hujus virtutis discrimen a prodigalitate, atque avaritia, vitiosis extremis, sibi et liberalitati contrariis, quorum haec virtus existit media.

Prodigus expendendi, donandique amore, expendit et donat plusquam convenit, modo, circumstantiis, personis, quibus non convenit. Avarus contra a donandi expendendique facilitate alienus, donandi etiam idea horrescit. Avaritia est semper vitium, liberalitas semper virtus, prodigalitas vero vitiosa stultitia. Prima aetate ut plurimum crescit, decrescit tertia, dum media virtus semper est constans. Prodigalitas propterea juventutem, avaritia senectutem comitatur, liberalitas vero omni aetate hominem exornat. Prodigus aliis prodest, sibi nocet; liberalis sibi et aliis prodest; avarus neque sibi, neque aliis. Primus enim divitiis abutitur, utitur secundus, tertius vero neque utitur, neque abutitur. Duo haec vitiosa extrema ita aliquando combinantur, ut sub unius specie lateat alterum. Qui violenta passione stimulatus plurima expendit, aut donat, immerito dicetur prodigus, sed sub prodigalitatis specie saepe est avarus.

Neque donorum multitudo atque magnitudo verum semper est liberalitatis criterium, atque mensura. In animo est, eoque saepe latet hujusce virtutis discrimen. Sortis enim vero est, donandi animo respondere fortunam et facultatem: saepissimeque fit, ut pro rerum copia, minus donet liberalior.

Unde vero est liberalitas, unde etiam avaritia atque prodigalitas? Prima ex naturali quadam animi celsitudine, divitias sub se quodammodo despicientis, divitias sibi, non se divitiis esse recte apud se existimantis, magisque beneficentia, quam divitiarum amore ducti, et illecti. Opposita animi indoles fons est, atque origo avaritiae, falsa divitiarum virtutisque, et beneficentiae supputatione confirmata. Pluris enim apud avarum divitiae, quam beneficentia, illárum conservatio, quam usus, crumena auro plena, quam animus nobili morali virtute ornatus.

Stultitia tandem prodigalitatis ipsa sibi est ratio.

Praeclaris hisce animarum ornamentis affinia, et sublimiora sunt *Magnificentia* atque *Magnanimitas*. Res magni momenti, valoris, atque utilitatis, hominum admiratione et aestimatione dignas, in commune potissimum Reipublicae, et civium beneficium liberali animo efficere, praestare, aut donare, magnificentiae proprium est, et character. Sublimiora tantum liberalitatis objecta complectitur; templaque potissimum, opera publica, et patriam respicit: definirique potest, *splendida liberalitas erga religionem, patriam, bonum publicum, aut familiae decorem*. Nisi ex honesto fine ducatur, non modo a sorde, et reptantium animarum vilitate; sed a profundente ambitione penitus aliena, neque virtus, neque magnificentia dici potest: sed stulta nominis ambitio, aut vilioris adhuc passionis effectus. Perinde enim, ut honestae, vitiosae etiam saepe sunt magnificentiae splendida vitia, virtutis specie, et nomine decorata. Quodnam enim honestae magnificentiae munus est, quod non aggrediatur vitiosa ambitio? Ex interna animi indole, atque finis honestate totum pendet discrimen. Magnis rebus aggressis, praestitis, donatis, sibi consulere, nomen, fortunam, gloriam affectare; quid haec, nisi dispendiosa vitia, virtutis specie transparentia, et vanitas magnis expensis comparata? Vera magnificentia Philosopho probanda, omnibusque, ut virtus, commendanda, sui pene oblita, quod est humanitate majus, aut post cortinam latens, publicum, alienumque respicit, et quaerit bonum, ab omni ambitione et vanitate aliena. Eadem fere magnificentiae, atque liberalitatis principia: nisi quod prima majorem animi celsitudinem per se fert, objectorum, conditioni, donorumque magnitudini proportionalem.

A Magnificentia parum abludit heroica animi in-

doles ad magna, difficilia, et periculosa prudenter aggrediendum et sustinendum strenua, magnanimitas vulgo nuncupata, moralis virtus inter vitiosa extrema, temeritatem, et pusillanimitatem media, utrique pariter opposita; et ex eorum indole penitius intelligenda. Magnanimum igitur rebus arduis dignitate quadam aggrediendis, et sustinendis indole sua semper parem, et elevatiori veluti sphaera degentem, humilia, atque puerilia objecta, discrimina, aut effectus hominem fortem dedecentes non tangunt. Illius porro est, 1. animi aequalitas in adversa, prosperave fortuna. Quaenam enim magnanimitas, si, ut vulgus hominum solet, adversae succumbat, in prospera vero puerili laetitia gestiat; in utraque impotens, neque timorem in prima, neque laetitiam moderetur in secunda? 2. Pericula neque fugere, neque etiam quaerere: quorum primum timidi, secundum imprudentis, neutrum vero viri fortis. 3. Beneficia facile conferre, aegre accipere. Sublime enim nescio quid, in gratiis, donisque praestandis, demissum in accipiendis. 4. Laborum, atque difficultatum diuturnitate, agendo aut patiendo superanda, animum non despondere, quod etiam longanimitas nuncupatur.

§. XLII.

Vitia moralia laudatis opposita: Avaritia, sordes, pusillanimitas, temeritas, audacia, egoismus.

Expositis modo virtutibus imprimis opponuntur indicatae animi affectiones, vel ex ipsa virtutum indole satis intelligendae. De Avaritia in superioribus satis. Sordes non male definietur, *profundior avaritia*. Qui nummos et bona caetera ita su-

spicit, et facit, ut ab iis, quasi sacris, tangendis fruendisque abstineat; et non modo aliis, verum sibi etiam neget, quae natura, ratio, hominis conditio, urbanitas, tempus, et occasio postulat, itaque vivendo, plusquam ad avaritiam opus est, secum ipse, et cum aliis agit; is sane est sordidi nomine dignus. Si igitur expositum superius avaritiae characterem, indolem, caussam, effectus adhuc vitiosiora concipias; argumentum absolvisti.

Temeritas, quam inter et pusillanimitatem media est magnanimitas, inter vitiosa extrema prudens virtus; Temeritas inquam, ab audacia parum differens, est, *inconsulta voluntatis indoles res arduas aggrediendi*. Difficultas esse potest ex re, modo, aut temporis, locive circumstantiis. Undecumque sit, consilio, virium comparatione, mediorum electione opus est. Hisce deficientibus, rem aggredi longe a magnanimitate distat, prudentiae semper comite, et pedissequa: vitiumque existit intellectus male cogitantis, voluntatis inconsulte agentis, utriusque vero majora viribus aggredientium. Majora, inquam, factu enim facilia, inconsulto agere, imprudentia potius dicenda, quam Temeritas. Neque enim imprudentia est semper temeritas: licet temerarius sine imprudentia esse non possit, imo et sine stultitia. Haec potissimum sunt temerarii characteres, atque a magnanimo discrimina; inconsulta, et rapida cogitandi ratio, spirituum ebullientium fervor, animum secum rapiens, nimia propriis viribus male supputatis confidentia, atque parum saepe scrupulosa circa honestum actionis finem ratio. Hoc igitur vitio plerumque laborat juventus, hominesque plurimi in matura, senilique aetate juvenes.

Alia plane est pusillanimi indoles atque character, magnanimo, et temerario toto caelo oppositus. Hominem concipe, passim etiam videas, qui non mo-

do ad ardua, sed ad communia etiam, et ad vanam periculi umbram contremiscat, cujus timiditas, microscopii vices agens, puerilem nodum sibi Gordianum esse repraesentet, suarum virium saepe ignarus, semper diffidens, nihil fere audeat, vilem interim timiditatem prudentiam nuncupans, nobile vitii, mutato nomine, velamen. En tibi hominem pusillanimem. Temerarius sperat omnia, timet nulla; pusillanimus sperat, et audet pauca, timet multa: magnanimus sperat, et timet speranda, timenda. Pusillanimitas igitur definienda videtur, *animi ad agendum, patiendumque socordia*. Æque enim passionis atque actionis incapax, non modo ad ardua aggrediendum, sed doloribus, calamitabus, adversaeque fortunae sustinendis, impar est foeminea haec, atque vitiosa animi indoles, hominem semper dedecens, atque dedecorans: potissimum vero si vitio est comparata. Duplex enim hujus infirmitatis principium, physicum, et morale. Primum infantiae, senectuti, foemineoque sexui commune, in nervorum, musculorumque debilitatem, spirituum inertiam referendum: secundum vero in educationem vitiosam, mollitiem laboris, curarum, dolorisque impatientem, diuturno usu et inertia confirmatam, et in naturalem fere indolem conversam. Mirum est quantum in animam possint, et per totam vitam agant hausta ab infantia de spectris terriculamenta, milleque aniles fabulae, et alia educationis physicae, rationalis, et moralis vitia: ad quae profundae in animo insculpta penitus eradicandum, impar plerumque est aetas, ratio, experientia, in primitivarum illiusmodi idearum, atque defectuum vanitatem perperam declamantes.

Egoismus tandem, liceat novo, singulari, significanti tamen nomine, commune et antiquissimum vitium indicare; egoismus, inquam, dici debet *amo-*

tis propii intemperantia atque delirium. Amorem sui ab amore proprio distinximus. Primum honestum, necessarium homini a Deo insitum, et naturali ratione semper confirmatum, superius ita statuimus moralis philosophiae principium, ut ab eo incipiant humanae actiones, nihilque agant homines, saltem honeste agendi, et meritum comparandi caussa, internae animae voluptate destitutum; quin tamen ita agendo, Dei, religionis, caeterorumque hominum jura laedantur; suum unicuique tribuatur; neque homo sibi ipsi semper agendi motivum existat. Propter Deum, virtutis honestatem, caeteros homines, amicos, aut non amicos, agendo, patiendo, nos quodammodo respicimus, quin earum actionum motivum, finis, aut proximum principium existamus.

Alia plane est egoismi facies, character, atque agendi modus. Egoista sibi semper est praecipuus suarum actionum finis, et scopus, in quem, agendo, recta collineat. Per fas et nefas se ipsum quaerere, sibique uni semper intentum nihil velle, agere, pati, nisi agendo, aut patiendo, se et propriam utilitatem, in prospectu semper habeat, parum alias de honestate, atque aliena felicitate solicitum, egoismum utcumque adumbrat.

Morale monstrum deformitate sua odiosum, omnis amicitiae, fidei, justitiae, totiusque humanae societatis perniciem secum ferens, suimet expositione luculenter exploditur. Nulla moralium actionum, nil adeo sanctum ab egoista agitur, quod non inficiat egoismus, et morali vitio non deturpet. Quantum enim vero ab hujusmodi hominis animo abest pura erga Deum charitas, cujus objecti splendor, atque lucis immensitas vix se ipsum animadvertere, atque respicere patitur! Suavis etiam ille amicitiae sensus inter homines adeo desiderabilis; liberalitas,

generositas, nobiles illae virtutes, et magnarum animarum characteres, alienae tantum utilitati intentae, suique pene oblitae, quonam pacto cum egoismo componi?

Disputatae hucusque virtutes, et contraria vitia; honestae scilicet, aut turpes amoris modificationes, ex propria voluntatis, ejusque actuum indole derivantur. Sed idemmet amor, atque benevolentia, caeteraeque virtutes, et vitia modo exposita, ad peculiaria eorum objecta relatae, mutatis nominibus, aliae evadant virtutes, aliaque vitia; de quibus modo.

§. XLIII.

Aliae Amoris, et Benevolentiae species, ex objectis differentes, Pietas scilicet, Charitas, Patriotismus.

Quaedam sunt objecta, quibuscum unusquisque hominum strictiores habemus relationes, earumque ratione peculiaria etiam iis debemus amoris, atque benevolentiae officia. Hujusmodi sunt parentes, filii, patria, amici, benefactores, homines infelices, alienae beneficentiae indigentes, ut modo non loquamur de Deo O. M., ex quo toti existimus, *in quo vivimus, movemur, et sumus*, nostrimet esse, felicitatis et officiorum summa, principio, et fine. Ex hac objectorum diversitate amor ille specialis, animos strictius devinciens, ita modificatur, ut evadat, et dicatur charitas, pietas, amor filialis, aut paternus, patriotismus, amicitia, gratitudo, commiseratio. Praeclarae enim vero virtutes, sine quibus non constaret religio, familiae, caeteraeque humanae Societates.

Primum, et potissimum charitatis atque pietatis objectum est Deus, quem cognoscere, amare, colere praecipuum est humanorum officiorum caput.

De utraque hac virtute, et officio erga Deum, satis in superioribus: ubi quid pietas, et impietas, quid etiam charitas, et ad quaenam harum virtutum munera teneamur, fuse disputavimus. Secundum charitatis objectum sunt omnes universim homines: humanae charitatis nomine intelligimus universalem benevolentiam, seu potius propensam voluntatem omnibus benefaciendi. Omnibus, inquam; hac enim objecti universalitate ab amicitia distinguitur, inter paucos tantummodo versante. Charitas ad utrumque objectum relata, duplex distingui debet. Theologica seu Christiana, et philosophica, seu moralis. Primam peculiari Dei gratia humanis animis infusam, et supernaturale Divinae beneficentiae munus, hisce verbis exponit Apostolus Paulus: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: sive prophetiae evacuabantur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Hanc divinae charitatis sublimitatem longo intervallo sequitur, atque imitatur philosophica, seu moralis, quam naturali ratione hausimus, docemur, colimus.

De charitate, ut et de amicitia, quaeri posset, ullo ne modo se respiciat, atque amore sui componatur. Superius jam dictis, praeclara tantum addam Divi Augustini verba, traditam a nobis doctrinam confirmantia. *Te ipsum consule; homines dum sibi contraria agunt, beatitudinem et felicitatem quaerunt. Id etiam in suicidio .... Actus supernaturalis charitatis mutatne essentiam nostrae voluntatis, nostrammet naturam, humanitatem?* Cha-

ritas, seu amor Dei purus habet pro objecto Deum; ut Deus reapse est, hoc est, ut infinite bonum, beneficum, creatorem, remuneratorem: ergo ut bonum etiam nobis. Si ab hisce attributis mentem abstrahas, Deumque tantummodo ut omnipotentem aeternum, consideres; sensum admirationis, timoris, reverentiae, non tamen amoris in te excitabis. Sed de hoc argumento in superioribus satis.

Pietatem pariter non modo erga Deum exercemus; sed illo etiam nomine intelligimus amorem et obsequium filiale erga parentes; de quo statim.

Gratitudo, *obsequiosus* scilicet *accepti beneficii sensus*, seu vivida benevolentia erga benefactorem ad obsequium excitans, nobilis illa est animi indoles, et virtus, benefactores tantum respiciens, iisque obsequiosa beneficii memoria, et confessione devincieus. Sublimiori modo rem definivit Milton: *insolubilium debitorum solutionem*. Verissimus quidem gratitudinis character, si de divina erga nos beneficentia, aut de magnis etiam hominum beneficiis loquamur. Quonam enim alio modo divinae beneficentiae, humanae etiam multoties respondebimus? Gratitudo igitur, qua veluti nobili pretio accepta beneficia solvimus, et accipienda quodammodo demeremur, animo inest, factis constat, verborum sinceritate citra fucum exprimitur. Totoque propterea caelo ab adulatione distat: quae personata gratitudo, mendaxque affectionis, et existimationis sensus merito nuncupatur.

Moralis haec virtus, non melius, et penitius despicienda, quam ex illius objecto, principio, modo. Objectum quidem benefactores; cum eos tamen gratitudinis sensu amemus, non quod, boni, atque amabiles, sed quod nos amarunt, erga nos boni atque benefici, delicata quaedam amoris sui ratio, et honesta sublimitas inest gratitudinis sensui.

Praecipuum vero, et fortasse unicum moralis hujus virtutis principium ratio. Inde enim moralis virtutis meritum, inde officii directio, atque mensura. Nisi ratione officium erga benefactorem agnoscamus, notum vero, ut rem sacram, secundum honestatis principia adimplere statuamus; non jam moralis virtus, constans, rationabilis, honesta existet, sed fluxa potius et grata beneficii memoria. Officii tandem gratitudinis modus, qualis animum decet liberalem, prudentem, honoratum. Cum igitur gratitudo sit nobilis debita solvendi modus, et ratio liberalem animum decens, atque ab omni abjectione animi aliena; hinc ab homine superbo, vano, avaro caute et raro accipienda beneficia. A superbo, et vano gloriae, et ostentationis gratia ut plurimum agentibus, rarum sine rubore beneficium. Acceptum vero ab avaro beneficium, caro semper emitur, carius adhuc solvendum. Grati animi officium esse debet. 1. Quidem quaedam cum accepto beneficio proportio. Cum igitur rei datae quantitas, et valor, dantis animus, atque modus, accipientis necessitas, utriusque vero circumstantiae, status, conditio, principia illa sint, et fontes, unde beneficii valor aestimatur; secundum haec etiam statui debet gratitudinis regula. 2. Gratitudo mente, et animo concepta, loquendo, et agendo pro rei ipsius merito, et loci, temporis, et circumstantiarum opportunitate demonstranda. 3. Haec tamen, ut ingenuum hominem decent, quin adulationem, aut reptantem animum sapiant.

Ut gratitudo nobile est animi ornamentum; ita ex adverso ingratitudo, *affectata* scilicet *accepti beneficii oblivio*, hominis characterem aeque deturpat, atque vitiosa ejusdem principia et fontes, insensibilitas, superbia, egoismus. Longius adhuc crescit odiosum ingratitudinis dedecus, cum affectatae oblivio-

ni indoles etiam et actus accedunt gratitudini plane contrarii, malevolentia, despectus, offensae. Neque infrequens est in omni humana Societate morale hoc phaenomenon, moralis mundi legibus plane contrarium. Vulgare illud *ex magnis beneficiis ingratitudo, et odium*, factis saepe confirmatum, non modo rem, sed rei etiam fontem indicat, superiori definitione assertum. Antiquum illud proverbium *odiosa creditoris facies*, difficultatem solvit, et phaenomenon explicat, Quodnam vero est, aut certius creditum, aut naturali jure fundatius, quam erogata beneficia? Quod si benefactores sint etiam infelices opeque nostra indigeant; quisnam tum non modo in beneficiis affecto, sed in homine quocumque humanitatis sensus? Eone pervenire ingratitudinem, ut naturalem commiserationem extinguat? Sed de his modo.

§. XLIV.

De commiseratione, misericordia, atque oppositis cordis indole et charactere.

In quaestionem incidimus physico-moralem, longiori discussione dignam. Quid nominis, quid rei, et unde est commiseratio, atque misericordia, naturales adeo, atque propriae humanitatis passiones, aut virtutes? Suntne aliquid homini innatum, omnemque mentis et voluntatis actum praecedens? An potius rationis et voluntatis opus, vel tandem insitae indolis rationisque complexio? Estne etiam aliquod inter commiserationem, et miserationem discrimen? Quaenam deinde sunt, et esse debent misericordiae officia? Humanitatis esse videtur, ex visis aliorum hominum malis, et calamitatibus commoveri, animo affligi, iisque sensu utcumque simili compati: idque est, quod commiserationis, et vulgo compas-

sionis nomine significatur: quod una cum patientibus patimur, eorumque patiendo misereamur. Commiseratio igitur est *afflictio animi ob alterius calamitatem visam, auditam, aut in memoriam revocatam*. Homines, visis aliorum tormentis, interno animi sensu dolere, facti res est, communi experimento, et sensu probata. Esse vero grati nescio quid in hac ipsa animi afflictione, quo homines occulto veluti fascino delectantur, et ad crudelia spectacula adspiciendum alliciuntur, aliquorum philosophantium opinio est, atque paradoxon.

Unde est, inquiunt, magnus ille populi concursus et affluentia, cum poenae capitalis rei publice torquentur, aut ferali cruci appenduntur, aut supra publicum tabulatum capite truncantur? Quid Romanos ad cruenta ferarum, gladiatorumque spectacula petendum, videndum, in iisque de tot hominum periculis, vulneribus, sanguine, caedibus, plaudendum incitabat? Plures aliae fuerunt, suntque modo etiam nationes, quae inhumana et cruenta spectacula suavi nescio quo horrescendi sensu, si ita loqui fas est, adspectant, et occulto fascino volentes horrescunt.

Res tota pendet ex penitiori hominis constitutione physico-morali: unde etiam est commiserationis principium. Quocumque modo commercium inter corpus, et animam concipias, statuas, et explices, indubium est, diversis fibrarum, fluidorumque motibus et statibus, diversos respondere, aut elici in anima sensus, dolorem, gaudium, laetitiam: et vicissim variis fibrarum, humorumque affectionibus, statu, motibus in corpore existentibus, varii etiam eliciuntur, aut respondent in anima sensus. Multiplex igitur fibrarum, fluidorumque motus, intensior, remissior, vibratior, debilior, ex anima quocumque modo derivans, in animam iterum agit, variumque in ea sensum excitat, motibus physicis respondeu-

tem. Ex vera hac actionum, et commercii vicissitudine intelligi, explicarique possunt sequentia. 1. Homines sunt, in quibus afflictionis sensus ob alienam calamitatem, qui est ipsissima commiseratio, nonnihil grati habere potest; cum ex praesenti fibrarum, animique statu ad alieni mali praesentiam excitantur in iis quidem motus, in hoc vero ideae. Haec omnia ex caussis physicis aut moralibus, aut ex principiis utriusque ordinis pendent. Speciminis loco sint sequentia. Qui a pueris et per totam vitam horrida et crudelia hujusmodi spectacula vident, praecipue si in gloriae partem reponant, illa siccis oculis spectare, aut ridendo pati, hi quidem, consuetudine in naturam versa, ex causa physico-morali inhumani fiunt in sese, et in alios tyranni. Hujusmodi sunt Japones, et quamplurimae Americanae nationes. Da hominem cujus sensuum fibrae ad vibrandum, aut objectorum actionem recipiendum et transmittendum difficiles existant: hujusmodi temperamenti hominem parum tangent tantilla objecta; horrida et cruenta delectabunt. Ex hisce et similibus aliis caussis indicati modo effectus explicantur.

2. Commiserationis insensibilitatem facile in hominibus gigni posse ex quadam fibrarum callositate, et duritie atque ex animae habitu, et usu eadem atrocia objecta adspectandi. 3. In opposito fibrarum, animaeque statu, aliena mala, re, aut memoriae praesentia sensum semper excitant intensiorem, remissiorem, magis minusve molestum, Ad unum idemque spectaculum quanta in adspectantium corpore, et animis motuum sensuumque diversitas? Videas quidem alios dolere, vehementer animo affligi, mentis et cordis deliquium pati: dum unus luget, ridet alius, plaudit, laetatur: est etiam qui scenam totam videt minime commotus. Unde ad unum idemque objectum tanta affectuum varietas? Res tota pendet

ex physico temperamento, humorum, fibrarumque indole, et praesenti statu. In rem etiam faciunt imaginatio, ideae, et judicia in diversis spectatoribus diversa, quae in physicum argumentum iterum resolvuntur. Longissima discussione opus esset, ut quaestionem physicam ex penitissima humani corporis anatomia, mutuaque humorum fibrarumque actione et harmonia pendentem solveremus. In Physica de gustus sensu, de sono, ejusque effectibus, de tarantula, et medicina soni agentes, argumentum fuse exposuimus, Philosopho morali non ignorandum.

4. Haec vero omnia esse, et existimationi, animique sententiae. et temperamenti fibrarumque indoli, et statui proportionalia.

5. Commiserationem posse in eodem homine usu, et tempore mutari, intendi, remittere, evanescere, pro mollescentium, callosarum aut durescentium fibrarum statu, et mutatione. Hinc tandem intelligitur magna illa, quae traditur, atque observatur in diversis hominibus, et nationibus commiserationis diversitas, et character. Quantum inter crudeles Japones, et suaves Othaitas, atque Indostanos discrimen! Ad unum idem crudele spectaculum quotuplex in adstantibus commiserationis, sensus, atque diversitas? Tremores, convulsiones, pallorem, lacrymas, deliquia, frontis, animique serenitatem, stupidum sensum, aliquando etiam irrisionem in aliis, et aliis spectatoribus animadvertes.

Patet igitur commiserationis origo et caussa physico-moralis. Ad sensibilem praesentis mali perceptionem et motus physicus in corpore, et sensus in anima excitantur. Est propterea effectus quidam naturalis ex dictis modo caussis excitatus, mentis reflexionem, longasque illas ratiocinationes praecedens, in quas aliena mala commiserando tacitos, et fere nolentes sponte nos inducunt, quae tum temporis

mentem animumque subeunt misera rerum vicissitudo, humanitatis conditio, propria etiam mala praeterita, praesentia, futura. Hasce ideas, seriasque mentis reflexiones praecedit commiseratio. Citra illas agunt dictae modo ejusdem caussae. Pueri, earum cogitationum incapaces, miserantur, visisque malis commoventur, affliguntur, in lacrymas, et planctus erumpunt.

Sciens tamen admitto, hisce, et aliis mentis reflexionibus spontaneam commiserationem confirmari intendi, altiusque animo imprimi. Seu potius, ex primo illo, et spontaneo commiserandi motu, novum, et sublimiorem miserationis sensum in animo excitari, cujus ratione plurima deinceps exercemus misericordiae et pietatis officia. Duplex propterea distinguenda est miseratio. Prima est passio illa spontanea physico-moralis, seu physico-sensibilis, mechanismi sensusque opus, cujus naturam, principium, atque originis modum hucusque exposuimus. Secunda vero intellectus et voluntatis propria, priorem aliam saepe consequens, longo tamen intervallo superans, infinitaque praestans charitatis opera, ea deficiente, non facienda. Secunda haec commiserationis species, misericordia merito nuncupanda, hominum cogitantium, et purioribus motivis agentium propria est. Commiseratione nostrum, et alienum quaerimus levamen. Misericordia vero alienum respicit, omnis humanae utilitatis propriae oblita.

In quaestionem vertitur, sit nec ne commiseratio homini innata: quemnam etiam finem, ex commiseratione agendo, respiciamus, nostrum ne dolorem, an alienum malum sublevare? Quaestionem utcumque solves, si quid rei sit, et secum ferat principium innatum, et duplicem commiserationis speciem, caussam, munera, atque agendi modum distinguas. Quidquid est humanae naturae insitum,

semper et ubique, et in omnibus hominibus existit: neque mutatur, intenditur, remittitur, comparatur, aut amittitur. Amor sui innatus hos habet characteres, in utraque commiseratione desideratos. Quot enim homines, imo et integrae nationes alienis malis insensibiles? Quot serena fronte, ridendo, insultando extremos aliorum cruciatus, tormenta, mortem respiciunt. Infinita hujusce inhumanitatis exempla, et portenta in antiquis, modernisque nationinus. Plurium Americae nationum, Japonum, aliarumque etiam gentium mores, et annales, et indolem consideranti, res est demonstrata. Iis enim vero hominibus, et populis commiserationem esse innatam? Mutatur ne hominum natura, et insitae qualitates?

De propositis igitur quaestionibus ita statue. 1. Neutra commiserationis species dici potest innata. 2. Prima dici tantum debet passio physico-sensibilis, hominibus, quibus inest; naturalis, et temperamenti, atque commercii inter corpus et animam effectus. 3. Quae hujusce commiserationis ratione agimus, eo tendunt, ut alienis malis commiserando nostrum etiam dolorem sublevemus. 4. Secundam commiserationis speciem, misericordiam vulgo nuncupatam, mentis atque voluntatis opus esse, inter virtutes morales numerari, rationeque, voluntate, studio comparari. Haec moralis, virtus non in sterili de alienis malis afflictione sistit; sed superioribus, honestioribus motivis innixa, omni etiam animi afflictione deficiente, miseris mortalibus, notis atque ignotis, praesentibus aut futuris solamen, et opem sufficit. Qui serena fronte, et siccis oculis aliorum calamitates, afflictiones, egestatem adspectant, audiunt, praevident, eosque sublevandi animo, opes suas, eleemosynas, et alia officia a pietate, et humanitate dictata patientibus erogant, non patientibus haud erogaturi, proprii levaminis caussa non a-

gunt. En igitur commiserationem nobilioribus motivis excitatam, et se se, aut par est, effundentem. Divinum nescio quid, in morali hac virtute et agendi ratione elucet, quo nos ad supremi benefactoris atque misericordis Dei dignitatem quodammodo elevamur.

Circa misericordiae officia, te ipsum consule: si egestatem, calamitatem, tormenta aliquando perpessus alienae commiserationis objectum extitisti; tuammet conditionem in tot infelicium sorte tecum ipse tacitus meditando, tibi ipsi eris Ethicae doctor, et eloquentior pro infelicibus hominibus Orator. Malorum diversitati, et magnitudini respondere debent miserationis officia. Alii enim doctrina, consilio, oratione juvandi: alios etiam vel suaviter alloquendo, vel audiendo etiam sublevabis: hoc sane pacto malis ex ignorantia, errore, imaginatione, voluntate, aut interna animi angustia derivantibus, sin minus medicina, levamen saltem quaeritur. Egestas, infortunia, aegritudines, aliaeque malorum colluvies, humanae conditionis fere patrimonium, alterius ordinis remedia quaerunt, atque officia ratione, atque interno sensu, citra ulteriorem doctrinam, manifestata.

Praeclara haec moralis virtus, humanam naturam adeo decens, et quemcumque hominem respiciat, semper amabilis, et nunquam satis commendanda. Cum tamen inter patrem et filios agit, et versatur, tum vero ex amore paterno, atque filii erga patrem, quo in humanis nihil magis sacrum, commiserationis sublimitatem attingit, et strictiora adhuc secum defert officia.

§. XLV.

Amor paternus, atque parentum, et filiorum officia.

Propositum argumentum ex lege tantum naturali agitamus. Quid enim leges civiles, ubique fere gentium inter se diversae, quid etiam divina, sibi semper constans et eadem statuant, Ethicae argumentum non existit. Mutuus parentum et filiorum amor adeo est humanitati naturalis, ut homines illius expertes merito dicantur humana monstra. Paternus amor recensitos fere omnes amoris gradus aut species, benevolentiam, beneficentiam, charitatem, amorem sui, commiserationem, et amicitiam secum ferre debet, atque eminentiori modo complecti. Teneritudinis, atque commiserationis objecto per totam infantiam, et pueritiam praesente, quid non in humano corde non pariet diuturna horum affectuum habitudo, atque perennitas? Parentum praeterea res sumus, naturales eorum imagines, et post mortem superstes adhuc quodammodo vita, nomen, atque memoria posteritati transmittenda. Ex hisce capitibus, aliisque statim adducendis, et prima ulterius confirmantibus, naturae indoli congruentibus, ita facile, et profunde afficitur parentum animus, ut ad naturalem inditam passionem admodum accedat.

Paterni igitur amoris, atque officii partes sunt, naturali jure praescriptae, filiorum nutritio, educatio rationalis, civilis, et moralis. Primum naturali etiam instinctu ut plurimum praestant caetera animantia. Hominis est instinctu, ratione, conscientia haec agere munera, partim quidem absoluta, partim vero hypothetica, et post statutam civitatem locum habentia. Ethicam tantummodo scribens, quaestiones illas in Jure naturali celebres non cogito; eone extendatur Jus parentum in filios, ut eos possint

occidere, vendere, pignori dare; quod etiam poenis coercere, et multare valeant. Haec et alia magni momenti quaesita partim naturales leges definiunt, partim etiam civiles.

Si tanta, et talia parentum amori, et sollicitudini accepta debemus beneficia, per tot annos ut plurimum continuata, quibus quotidie fere moriendum nobis esset, nisi vita a parentibus, generatione primum accepta, eorum deinde amore, officiis, commiseratione, atque perenni beneficentia servaretur: quaenam esse deberet filiorum erga parentes amor, obsequia, servitia? Quid non filiis imponit gratitudo, compensationis munus, pietas, humanitas, instinctus, ratio, naturalia, divinaque jura? Parentes vicissim redamare, colere, obsequia, et morem gerendo demereri, alere, si opus sit, et per facultates liceat. Paria tandem eorum senectuti reddere, ac pueri ab iis accepimus, humanitatis et justitiae officia.

Quaestio philosophiae moralis propria hoc loco moveri potest. Cum parentum erga filios beneficentia, et amor omnem excedant orationem: parque inde esse et respondere in filiis debeat gratitudinis sensus: uno verbo, cum toti a parentibus sint filii, ab his vero nihil fere ut plurimum accipiant parentes; unde tamen est illud morale, et magno hominum probro, commune phaenomenon, quod paterni amoris vivacitati male ut plurimum respondeant filii: rationeque potius, quam genio, officia peragant parentibus debita? Unde in proverbium quodammodo abiit, septem filios alit mater, a septem filiis non alenda. Rei caussa sunt humani cordis diversae in aliis, et aliis vitae temporibus passiones. Parentum, filios ut rem suam semper spectantium, atque in iis se se, proprium nomen, memoriam, et quamdam etiam vitam post mortem sperantium:

parentum, inquam, amor, dulci commiseratione a partu per totam infantiam, et pueritiam continuata, profundas in animo radices infixit, quibus veluti occalluit, si ita loqui fas est. Futurum etiam senectutis sustentaculum, atque levamen a filiis in futurum tempus praestandum sperant parentes. Horum etiam passionibus aetate languescentibus, uni fere supersunt filii amandi: in hanc unam passionem, atque objectum caeterarum vis fere degenerat, atque confluit. Filiorum tandem juventus, vivacitas, corpus, ingenium alliciunt, frigidam senectutem recreant, et suaviter devinciunt. Quid enim vero in parentum animis non potest tota haec caussarum complexio?

Contra vero a se se retrahit morosa senectus, patientiae potius, quam genii objectum. Diuturna parentum imperia et auctoritas fastidiosa; domesticum jugum per se se odiosum, et per longum tempus juvenilis libertatis fraenum atque impedimentum. In filiis tandem passionum fervor juvenilem animum ad alia et alia inflectunt objecta: earumque vivacitate, atque tumultu hebetatur tandem, atque languescit sensibilis animorum affectus erga parentes. Quantum etiam filiorum amorem et gratitudinis sensum non infringit atque acerbat educationis ratio, et munera? Doctrina, morum correctio, oratione, actione et poenarum inflictione facta? Sed de hisce satis. Ad argumentum superiori affinem deducit idearum atque rerum connexio.

§. XLVI.

Patriotismus, seu amor Patriae, atque munera et officia Civium.

Mutua parentum et filiorum officia mutuis etiam Patriae civiumque officiis respondent: aliaque

ex aliis facile deducuntur. Prius tamen quid sit Patria: cujus ardens amor, virtus politica ab aliquibus nuncupatus, *patriotismus* vulgo jam dictus, male a quibusdam definitur, *Fanatismus humano generi funestus, politicorum, et virorum principum inventum*. Patria, inquam, nonnihil habet arbitrarii, aliud vulgo et veluti physice, aliud moraliter, et humano jure significans. Vulgari hominum sensu physicis rerum eventibus conformi, patria est natale solum, permanentis domicilii. Patria vero legalis, atque humano jure statuta, est politica illa status civilis constitutio certo loco stabilis, cujus pars existimus, ejusque legibus, juribus, viribus tenemur, fruimur, protegimur.

Hinc destructa illa, quo nati sumus, civitate, seu republica, quaenam est nostra patria? Civilis nulla: sola superest naturalis. Si tamen casu aliquo, puta terraemotu, destruatur etiam, et dispareat nativum solum, tum vero nulla amplius patria. Una tantum esse potest patria physica, plures vero legales; alia quidem primitiva, aggregationis aliae. Res quidem et nomina vulgo notissima. In transfretatione, aut itinere natis patria est gentilitium solum, e quo exclusi non sunt parentes. Legatorum autem in aliena regione commorantium filiis, duplex est naturalis patria, nativitatis scilicet locus, atque gentilitium solum. Advenae vero cujuscumque filiis, in statu politico alieno natis, patria naturalis est nativitatis locus, politica vero eadem, quae patris.

Impraesentiarum de patria civili tantum loquimur, civilium officiorum objecto, quibus praestandis multiplici ratione tenemur. Primo enim ad natale solum, et propriam nationem amandum naturae ipsius indole, physico temperamento, et contracta morum habitudine ducimur. Sua est inter corporum elemen-

ta proportio, similitudo, et ut recentiorum Chemicorum verbo utar, privata affinitas, aut discordia. Secundum majores, minoresve hujusce affinitatis gradus se se complectuntur, servant, perficiunt corpora: alia refugiunt, repellunt, oppositisque qualitatibus, et viribus destruunt. Physica igitur inter humanum corpus, et natale illius solum temperamenti identitas, et affinitas, idem clima, aer, aqua, caeteraque elementa et qualitates utrique communes, corpora nostra ita natali solo attemperant, et affine reddunt, ut prae aliis locis illic vegetent, nutriantur, vivant.

Quod nationem attinet, quanam etiam vi nos devinciunt moralia vincula, atque relationes: gentilitia educatio, per tot annos continuata, et naturae vim adepta, iidem mores, religio, leges, eadem etiam praejudicia, et sanguinis tandem atque amicitiae conjunctio? Hae, inquam, physicae et morales corporis, et animi modificationes, naturae vim habentes, illae sunt suavis atque insuperabilis fere attractio in patriam nos semper revocans, naturam, hominemque temperamenti, indolis, amorisque vinculis semper trahens. Ex aliis praeterea fontibus derivari debent civium officia. Politicae associationis, seu civilis patriae beneficia sunt nostramet nativitas, educatio, vitae, fortunarum, libertatisque conservatio, atque patrocinium. Quot et quanta paucis verbis indicata beneficia, nulla tamen aut oratione comprehensa, aut officiosa gratitudine compensanda? Legibus, armis, communibus Societatis viribus, atque potentia regimur, tuemur, libertate, et fortunarum proprietate, et usu fruimur. Tolle parumper leges, Societatis vincula, et patrocinium, atque associationem ipsam. Temetipsum tibi uni relictum cogitando concipe: quaenam vero in illo solitudinis, aut solutae Societatis statu infelicitas?

Nulla tum vitae, libertatis, fortunarumque securitas. Tua omnia, tuque ipse tibi incertus. Undique solicitudo, pericula, timor. Civili patriae acceptum referas, quod ab hisce malis liber et securus, oppositis omnibus fruaris bonis. Inde tibi mores, religio, educatio, artium, scientiarumque cultura.

Tot patriae in nos beneficiis respondeat oportet amor, gratitudo, fides, compensatio: absit vero ingratitudo, proditio, infidelitas, perfidia. Illa praestare, haec scrupolose evitare, primum esse debet politicae associationis consectarium. Sacra propterea sunt civium officia, patriam amare, colere, non deserere, nisi justa intercedat deserendi caussa, pro illa adversus hostem stare, et pugnare, illius statum, leges, publicamque utilitatem tueri, promovere, atque pro facultate perficere.

Quod si in gentilitia associatione, seu republica desiderentur sacra illa, quae diximus, patriae erga cives munera; si in tyrannidem vertatur legislatio, opprimantur cives, illorum jura, vita, libertas, fortuna precariae res sint, atque incertae: tum vero affectio et amor patriae justo, et innato amori sui locum cedit, solutoque contractu sociali, tacito civium sensu, et interpretatione inito, atque firmato, sibi quisque consulere potest, antiquam patriam deserere, et in novam se se aggregare.

Vitia supradictis virtutibus opposita, egoismus, apathia, misanthropia, ingratitudo, inhumanitas naturalem hominis characterem maxime deturpant, et socialia vincula enervant. De egoismo et ingratitudine satis in superioribus disputatum. *Apathia* in sensu morali secundum propriam Graeci nominis significationem esset omnium passionum privatio. Esset inquam, hominem enim passionum omnino expertem non patiuntur physicae leges. Rem in arte critica, cum de passionibus, errorum fonte, ageretur asser-

tam, et confirmatam indicasse sufficiat. Apathiae nomine strictiori significatione usurpato, amoris, atque amicitiae insensibilitatem intelligimus. Eoque sensu et physicum insimul, et morale vitium existit, atque in stupiditatem, indolentiam, ingratitudinem, moralem inertiam, et egoismum degenerat. Quae igitur hisce vitiis praescripta sunt remedia physica, rationalia moralia, quaenam, et ubi apathiae pariter applicanda?

Quid tamen de Stoicorum apathia, serena illa animi tranquillitate, tumultui passionum impervia, dolorumque, atque voluptatum experte, tantopere ab hisce Philosophis affectata? Superbum philosophiae mendacium, Platonica republica, et Poetarum figmentis dignum, physica hominum constitutione satis superque rejicitur. Praesentes naturae leges, omneque inter corpus et animam commercium tollere opus esset, ut Stoico illo privilegio frueremur. Apathia igitur, quocumque modo accipiatur, aut characteris vitium physico-morale existit, aut philosophica vanitas. Si per physicarum caussarum, et humanae naturae constitutionem fieri posset, ut, animo in ipsismet doloribus, voluptatibus, et physica passionum vivacitate tranquillo, et veluti ex olympo, inferiores tempestate spectante, puro tamen virtutis amore perinde ageremus, ac si sensibili vivacitate excitaremur; ea sane apathia ad sublimiorem moralis philosophiae apicem attingeret. Sed morali phantasmate, desiderii potius, quam spei objecto, transmisso, *Misanthropia*, seu humani generis odium, ea enim est vocis significatio, siqua in hominum aliquo insit, aliud neque esse, neque dici posset, quam *tetrum humanae conversationis fastidium*. Physicum potius, quam morale vitium, ex profunda melancholia, socialis vitae impote, taciturnitatis diuturnitate confirmata, derivans. Vitio

remedium.

Quae hactenus exposuimus mutua hominum erga alios homines officia, et morales virtutes, naturalia atque necessaria Societatum fundamenta, vana tantum officiorum, virtutumque moralium species et umbra, atque ruinosa civilium societatum basis existeret, nisi illorum veluti anima sit: 1. Fides, veritas, sinceritas. 2. Nisi una secum ferant strictius aliud Societatum, totiusque humani commercii vinculum, justitiam scilicet, atque aequitatem. In hanc enim vero collineant caeterae omnes sociales virtutes; haec socialium officiorum primum et ultimum: eaque stante, et scrupulose observata, stant etiam et conservantur humanae societates, ea labente, dissolvendae.

§. XLVII.

Fides, Veritas, atque Sinceritas.

Humanum commercium tribus hisce peragitur, judiciis, verbis, factis, seu judicando, loquendo; agendo. Internis tantum animae actibus se se mutuo explicare, et intelligere, humanum non est. Psittacorum autem est, voces proferre sensus, et idearum expertes: actionum tandem defectu una superest otiosa cogitantium loquacitas, civili cum hominum, tum etiam reipublicae, vitae, atque conservationi omnino impar. Quae enim humana socialis vita, aut respublica, si fides, veritas, sinceritas, justitia desideretur? Quatuor haec humanum commercium, et societates constituunt, stabiliunt, servant. At priora tria ad animum et sermonem spectant: postrema circa actiones potissimum versatur. Cogitando enim, volendo, loquendo fideles, veri atque sinceri existimus: agendo vero justi aut injusti.

Veritate logica, atque metaphysica impraesentia-

rum praetermissis, veritas moralis praesentis instituti tantum propria, est *verborum cum interno sensu consensio*: seu *sentiendi, loquendique consensio*. Si tuam de re quacumque opinionem, et internum sensum loquendo manifestas, etsi re et logice falsum, veridici hominis nomine et virtute laudaberis. Contra vero, si aliter, atque existimas, rem esse dicas; morale mendacium proferes; licet rem logice, aut physice veram affirmes, aut inficieris falsam. Veritas igitur moralis cum falsitate logica: mendacium cum logica veritate componitur. Veritas enim logica, *est convenientia judicii, aut propositionis vocalis cum ejusdem propositionis, aut judicii objecto*: falsitas vero *discordia*. Logicae falsitatis est errare, moralis vero imponere. Quorum alterum intellectus, alterum vero voluntatis vitium. Contra vero veritas aut mentem commendat, aut voluntatem agendi honestate exornat. Constans utriusque complexio hominem demonstrat doctum insimul, atque honestum: dignumque propterea, cui plena habeatur fides.

Postremam hanc, intellectus pariter atque voluntatis ornamentum, recte cum Cicerone definies, *dictorum conventionumque constantiam et veritatem*. Rem ignotam asserenti, aut notam malitiose mentienti, quaenam haberi potest fides? Contra vero qui non modo scienter verum dicat, sed dictis et conventionibus sit constans, is proculdubio fide praeditus, atque dignus existit, prout haec in morali philosophia usurpatur. Neque enim impraesentiarum fidem theologicam, divinam, aut humanam disputamus, in actu aut habitu credendi consistentem; sed eam mentis animique virtutem, atque indolem, qua praedito plane et merito confidimus a fraude, et errore securi. Fides hoc modo intellecta, sine animi sinceritate ne concipi quidem potest. Quaenam homini sensum mentemque suam obtegenti, adulteran-

ti, aut male dissimulanti habenda fides? Ita agentis, atque conversantis esse ne potest *prudens dicendae veritatis candor*, loquendi, agendi cum animi sententiis convenientia, quae est ipsissima sinceritas, et consequenter moralis fides, ab hujusmodi sinceritate nunquam sejungenda? Haec vero complectitur sinceritatis character. 1. Contra proprium sensum nunquam loqui, aut nomine suo agere. Quisnam enim aliter agentis candor? Estque idcirco moralis virtus honestatem secum ferens, una cum agendi, loquendi, tacendique prudentia conjunctam. Tacendi inquam, neque enim sinceritatis est loquacitas, et dicenda, tacenda nullo discrimine palam facere.

2. Prudenter agere, tacere, loqui, cum agendum est, loquendum, aut tacendum. Nisi ita esset, sinceritas, non tam moralis virtus, prudentiae semper socia, quam stupida simplicitas, atque puerilis licentia, quae prudentiae dictamine expertes, quidquid de se, et de aliis sapiunt, sentiunt, audiunt, opportune, sin minus malitiose, inconsulte tamen loquuntur. 3. Praeter mendacium seu falsitatem moralem, sinceritate etiam excludi simulationem, atque dissimulationem. Sinceri enimvero hominis non est callida et externa veritatis occultatio, neque moralis actionum hypocrisia, seu mendacium: quorum primum est dissimulatio, seu affectata dicendae veritatis declinatio citra mendacium: secundum vero simulatio, qua alium te esse, aut sentire, ac reapse sis, aut sentias, ludificandi gratia externis actionibus demonstras.

Fides, veritas, atque sinceritas in humano commercio adeo necessariae ad Justitiam, praecipuum illud humanarum Societatum, et rerumpublicarum cardinem, et veluti tutelare numen, sponte ducunt, illamque secum ferunt.

§. XLVIII.

De justitia, et aequitate, earumque officiis.

Justum atque justitia latiori, strictiorive sensu accepta, diversis etiam concipiuntur ideis, et notionibus definiuntur. Justum latissime usurpatum, cum honesto; justitia etiam generalis, et naturalis cum honestate confunditur: unumque pro alio promiscue intelligitur, et significatur. Justum igitur eo sensu acceptum, est agere secundum rectam rationem, communi hominum sensu probatum, laude et praemio dignum: idque pariter nuncupatur honestum. Multiplex distingui debet Justitia, aut Justitiae sensus. Justitia scilicet naturalis actionum, prout est virtus moralis agentium. Justitia legalis; et tandem Justitia Theologica. Justitia naturalis actionum est relatio convenientiae inter actionem, et rationem. Hoc sensu distinguitur a legibus, easque praecedit: cum illa immutabilis sit, hae vero mutabiles; et ante leges atque conventiones erat jam justitia; sicut antequam primum committeretur homicidium, vera jam erat ejus actionis injustitia. Quin immo eatenus bonae sunt leges, quatenus Justitiae tamquam primitivae earum regulae conformantur. Adeo verum est, justitiam esse ante leges, ab iisque distingui, ut leges sint aliquando injustae, et non modo justitiam naturalem non esse ex legibus, sed legibus saepe esse contrariam.

Atque in hoc sensu, justitia dicitur etiam naturalis honestas: ita ut quidquid est justum sit etiam honestum; idemque plane existat actionum honestas, atque justitia naturalis. In hoc sensu justitia virtutes omnes quodammodo complectitur; omnesque actiones morales bonae universalis illius honestatis, atque Justitiae effectus existunt, et caussa esse possunt. Habitus enim secundum rectam rationem sem-

per agendi, ejusmodi actionum repetitione comparatur, alias deinceps prioribus similes producturus.

Justitia legalis sunt leges ipsae, aut convenientia humanarum actionum cum legibus. Si leges civiles naturali sint contrariae, et propterea injustae, ut non raro accidit, justitia etiam legalis naturali, jus positivum juri naturae opponentur. Justitia Theologica est, supernaturalis illa Dei gratia, credentibus infusa, eosque reddens sanctos, justos, Dei amicos; et in habitu divinae charitatis consistere videtur, secundum communem Theologorum sententiam. Sed hac provincia Theologis praetermissa, Justitia tandem moralis, una instituti nostri propria, moralis virtus, caeterarum socialium virtutum fundamentum et corona, est *constans voluntatis habitus unicuique jus suum debito modo tribuendi*. Hoc etiam sensu officia, virtutes morales fere omnes quodammodo comprehendit. Deo enim, nobismet ipsis, caeterisque hominibus jura sunt, quorum praestatio et officiosa observantia virtutum omnium exercitium praesefert. Ut igitur Justitia moralis peculiaris virtus existat, hominum tantum jura respiciat oportet; sitque propterea *constans animi virtus unicuique hominum jus suum tribuendi*. Alia hominum jura sunt perfecta, atque rigorosa, imperfecta vero alia. Priora respicit Justitia, posteriora vero aequitas: aliis nominibus justitia aequalitatis, et proportionis, *commutativa, et distributiva* nuncupata. Quid rei sint hujusmodi jura, quove pacto alia ab aliis distinguantur, suo loco. Quid ergo est, quaeres, agere ex justitia, et agere ex aequitate? Quid rei est justitia, quid aequitas; quod inter eas discrimen? Paucis dicam: agere ex justitia est agere ex lege, naturali, divina, aut humana: agere ex sola ratione est agere ex aequitate. Justitia igitur, quatenus ab aequitate distinguitur, est

obligatio legis; Æquitas vero est, *mera suasio rationis*.

Ex dictis facile patet, quid et qualia sint vitia, et actiones, expositis virtutibus contraria, injustitia, injuria, iniquitas. Quale etiam discrimen inter justitiae et charitatis officia. *Violatio alieni juris rigorosi, injustitia; violatio vero alieni juris imperfecti, iniquitas*. Da virum principem, qui pecuniam creditori petenti debitam non solvat, et reipublicae munera atque dignitates, posthabitis benemerentibus, distribuat indignis. Primum agendo injustus, secundum vero iniquus existimabitur: cum in rem suam jus habeat creditor: praemia vero reipublicae civibus de republica bene merentibus largiri aequum esse dictet ratio. In utroque actio ab animi indole, aut habitu distinguenda: solaque duo postrema vocari possunt vitia. Actio injusta, sicut et aliae turpes, saepe est humanae fragilitatis, atque hominis natura, indole, aut consuetudine minime malis error, et lapsus. Violatio tandem alieni juris perfecti, aut imperfecti, nocendi caussa consulto patrata, *injuria* universim accepta, injustitiam propterea atque iniquitatem hoc sensu complectitur. Strictiori tamen sensu injuria esse intelligitur, dictum aut factum in alterius contemptum et offensionem patratum.

Haec omnia ad jus referuntur, atque ex juris notione et discrimine profluunt. Ex jure dominium: ex utroque obligatio. Quid autem, et unde haec tria? Primum superius jam expositum. Superest modo, et merito quaeritur secundum. Unde igitur jus, dominium, obligatio? Quodnam justitiae fundamentum, quaenam etiam regulae atque officia ex fundamento derivantia?

§. XLIX.

Juris, dominii, obligationis, hoc est Justitiae fundamentum, regulae, officia generalia.

Accurata et philosophica humanae naturae atque conditionis contemplatio, et analysis rem totam demonstrat, et morale atque politicum solvit problema. Adeo verum est, hominem sibi ipsi esse librum ad moralem scientiam ediscendam aptum, semper apertum; profundo tamen atque sapienti studio et meditatione intelligendum, atque interpretandum. Quaenam autem et quanta doctrinae et scientiarum vis ad *sapiens* illud examen instituendum necessaria? Humanis institutionibus e medio, parumper cogitando, sublatis, homines universim natura nascuntur liberi atque aequales. *Liberi* inquam: nulla enim sine domino, sine consensu, aut pacto servitus. Filii vero ad patrem relatio, toto coelo a servitute distat. Communis et eadem omnium natura: ex communi origine fratres: idem principium, finis, naturalis conditio: commune omnibus patrimonium, terra, mare, caetera: dominii, possidendi, resque communis alioquin patrimonii suas faciendi aeque capaces. Æquale tandem omnibus datum a Deo jus ad vivendum, seque imprimis, vitamque servandum, et ultimum eorum omnium finem assequendum.

Ex perfecta hac omnium hominum naturali libertate, aequalitate et conditione, parique idcirco uniuscujusque in se, atque in res suas naturali jure et dominio, sponte derivantur omnia naturalis justitiae regulae, atque officia inter homines observanda. Hinc enimvero imprimis consequitur sacrosanctum illud, et universale axioma rem totam paucis complectens, *aliis esto, quod alios tibi esse velis*, quod in sequentia dogmata explicatius resolvitur, *quod tibi non*

vis, alteri ne feceris: aliis a te faciendum, quod tibi ab aliis factum desideres. Nulli faciendum malum, neque per se, neque per alium. Nullius etiam frangenda, aut impedienda jura, cujuscumque rationis existant. Nulli malum velle; omnibusque, quantum per nos licet, voluntate, dictis, factis juvandum. In vitam, fortunas, nomen, famamque alterius nihil committendum. Damna illata, commissae injuriae reparandae, et omnia in pristinum statum, si fieri potest, revocanda: sin minus, justa compensatione componenda.

Et haec quidem, pluraque alia officia, et officiorum capita generalia sunt mutua, et absoluta, omnem factitium statum, et societatum institutionem praecedentia. Infinita, vero, quae ex his consequuntur corollaria, hominum mores, totamque humanam vitam moralem in statu naturae definiunt, docent, statuunt. Singulares quaecumque hominum actiones liberae, atque imputabiles ad illas generales regulas revocandae. Sed haec eadem principia, sacra rationis naturalis dictamina, necessaria sunt factitiorum statuum fundamenta. Iis labentibus, Societates etiam solvantur opus est. Secundum eos igitur canones, infinitaque consectaria ex iisdem sponte fluentia, civilis hominum vita, et naturalia justitiae officia hypothetica, necessario sunt definienda. Tam absoluta, quam hypothetica naturalia officia cogitatis, dictis, factis comprehenduntur, atque praestantur. Tribus hisce Deo, nobis et aliis vivimus, cogitamus, loquimur, agimus. Haec totius moralis vitae, et philosophiae summa. Haec necessaria capita rem totam complectentia. Cogitando, scilicet, loquendo, agendo non modo juste, aut injuste, sed honeste etiam aut turpiter committimus. Neque enim moralis philosophia externas solum actiones, ut humanae leges, respicit, statuit, definit; sed penitissima etiam men-

tis , et animi aliorum hominum sensibus impervia , approbat , aut improbat , pro intrinseca eorum honestate , aut turpitudine ad naturalis rationis normam definita .

Circa triplicem illam actionum classem , moralis philosophiae objectum , unumquemque nostrum ita secum ipso ratiocinari oportet . Quandoquidem per naturam liberi , et aequales existimus , pariaque in nos in alios homines , et in res caeteras habemus jura ; quae mihi in alios , aliis etiam in me vicissim licent . Nisi ita sit , nulla amplius naturae , libertatis , et jurium aequalitas . Quaenam hinc sponte non deducitur longa consequentiarum series , omnia hominum in alios homines naturalia officia complectens ? Primum quidem est generale hoc morum theorema : *Nulli hominum mente , sermone , aut opere nocendum* . Male igitur de aliorum vita , et moribus non judicandum ; nisi rei evidentia oppositam extorqueat sententiam . Quamdiu non plane res constat , indubium hominis jus in sui ipsius existimationem , nomen , et famam contrariam probabilitatem excludere debet . Quin imo cum de materialis actionis existentia , et opposita lege plane constat , de morali agentis honestate , aut turpitudine adhuc potest esse dubium . Moralitas a praesenti animae statu , scientia , libertate , advertentia , passionis fervore pendet . Unde vero tibi certo constat , quisnam sit animae aliorum hominum status , quoad haec omnia , dum actionem per se malum committunt ? Quid enim de aliis , cum de nostro intellectus , voluntatis , atque libertatis statu simus etiam aliquando incerti ? Et hinc quanta debet esse de aliorum vita , et humanis actionibus judicandi prudentia , et cautela ? Judicia quaecumque gravi fundamento non innixa , atque idcirco temeraria vulgo nuncupata , scrupulose evitanda .

Quod de interna mentis, animique sententia, de externo sermone potiori jure dicendum. Majus enim de aliis male loquendo, quam male judicando inferimus damnum, et in strictiora jura peccamus. Ita enim vero nobiscum agi, jure volumus. Neque hujusmodi juri renuntiare unquam possumus. Haec totius rei summa est, in quam nostra erga alios homines officia resolvuntur. Contra officium igitur est, aliis detrahere, falsa quaecumque vitia moralia, civilia, physica in medium loquendo asserere, aut ab aliis asserta, vel solum etiam audita referre: vera etiam peccata, quamdiu non vulgata, in medium proferre, aut privatim etiam nota facere: aliorum etiam facta, aut dicta sinistre interpretari, atque in malam partem vertere. Aliis tecum ita agentibus, tua infringi jura merito doleres. In sui enim existimationem, nomen, famam unicuique hominum jus sanctum est, atque perfectum. Hinc satyrae, libelli, et similes alii hominum famam proscindendi modi per se se turpes sunt, atque juri naturali, et societatum institutioni, fundamento, et fini penitus oppositi. Contra vero prudens critica, a satyris toto caelo distans, per se se et nomine ipso commendatur, nulli injuriosa, omnibus utilis, communi, et privatae hominum institutioni necessaria. Neque enim homines ipsos, ut Satyra; sed vitia, civilia, rationalia, litteraria aggreditur, impetit, et notat critica: rectisque regulis pro argumenti, de quo agitur, opportunitate, et ratione traditis, personae scrupulose parcens, bene de omnibus meretur.

Si haec circa animi de alienis actionibus sententias, atque sermonem ratio, honestas, atque lex naturalis praescribit; quid non de factis, aliena jura perfecta spectantibus atque laedentibus? Actiones hic intelligimus, in hominum vitam, membra, bona, et fortunam commissas: quibus perfectum cujusque ho-

minis in statu naturae jus in se, suaque omnia laeditur. In statu etiam sociali unus princeps omnium civium in illum voluntatibus mutuo consensu, et sociali pacto translatis, in haec jura justa de caussa agere potest. Privato vero, vel homini in statu naturae, vel civi in constituta jam societate, in alium hominem aut civem agere non licet; nisi vel justae defensionis, aut reparationis caussa.

Haec omnia officiorum moralium generalia capita naturali idearum connexione et ordine in praesentiarum tantum indicata et proposita, fusius pro rerum dignitate eodemmet ordine evolvenda, magnam juris naturalis partem constituunt.

§. L.

De Prudentia, et virtutibus affinibus, atque oppositis vitiis.

De Prudentia dicturi, illam intellectus, atque voluntatis dotem, seu virtutem aggredimur, et attingimus, vitae lumen, omnium humanarum actionum regulam, primumque et praecipuum moralium virtutum, et totius Ethicae cardinem, atque propterea inter virtutes cardinales primo loco numeratam. Quin imo veteres Philosophi, re forsan penitius inspecta, prudentiam existimarunt virtutem omnem existere, et complecti, aut earum omnium individuum esse comitem; ita ut ubi vitium aliquod morale, ibi etiam imprudentia: ubi vero prudentia, ibi nulla desideretur virtus. Primum illud fuit Socratis, alterum vero Aristotelis doctrina: secundum utriusque sensum nullus hominum prudens, nisi virtutibus omnibus ornatus. Rei notione ita statuta, homo prudens adeo rarum erit phaenomenon physico-morale, ut homo sapiens Stoicorum.

Utcumque rem statuas, Scientia, Sapientia, Sa-

gacitas, Astutia magnam cum prudentia, et secum mutuo, habent relationem: atque ex singularum notionibus quid tandem sit prudentia innotescit. Scientia, ut rem in Logica luculenter expositam obiter, argumenti gratia, attingam, est *cognitio rerum naturalium certa per suas caussas*. Sapientia vero, Scientiae sublime merito nuncupata, est *profunda divinarum, aliarumque sublimium rerum scientia*. Scientiam igitur non modo objectorum sublimitate et profunditate, sed extensione etiam superat Sapientia. Neque enim sapientem nuncupamus, nisi plurimarum sublimium rerum scientia ornatum. Prudentiae neque sublimitas sapientiae, neque scientiae lumina necessario insunt; estque propterea a duabus hisce virtutibus distincta. Prudens potest non esse sapiens, imo neque scientiis instructus. In sapiente etiam, et sciente saepe desideratur prudentia. Veritatem ex propriis harum virtutum notionibus consequentem quotidiana confirmat experientia.

Quid enim Prudentia, nisi *rationis manuductio in usu appetendarum, fugiendarumque rerum?* Seu aliis verbis eundem sensum exprimentibus, *rationabilis mediorum usus, ad propositum finem utilem, atque honestum obtinendum*. Prudentia, generalis illa virtus, omnes humanas actiones respiciens, omnium consiliaria, atque directio, ad intellectum aeque, atque ad voluntatem pertinet. Quid, et quomodo agi debeat, possit, deceat, hoc est humanarum actionum substantiam, et modum perspicere, probare, demonstrare rationis munus est. Liberae vero voluntatis secundum rectum illud et verum mentis dictamen agere. Duplicis hujusce muneris complexio prudentiam constituit, quorum altero deficiente, nullus hominum dici debet prudens. Cum appetendarum, fugiendarumque rerum ignorantia, honestas forsan morum componitur, non tamen prudentia.

Si earumdem rerum scientia instructus, secundum eam scientiam non agas, doctus quidem audies, nequaquam tamen prudens. Æque ideirco prudentiae opponitur quid agendum sit ignorare, atque scientiae rerum parum conformis voluntas. Nisi hoc sensu intelligatur illa prudentiae definitio a Cicerone tradita *rerum appetendarum fugiendarumque scientia*, humanae potius doctrinae, quam prudentiae videtur esse notio. Quot enimvero homines de appetendis fugiendisque rebus, earumque modo bene instructi, praecipitanter tamen, et citra modum agunt, aut contra otiosa eorum rationis dictamina vivunt? Eos vero prudentes dicere non nisi per ironiam licet. Eum solummodo jure merito dicemus prudentem, qui agere et noscat, et velit; rerumque agendarum vitandarumque cognitioni conformem adhibeat actionem. Cum illa prudentiae pars intellectum spectans, quod rei fundum attinet, naturale donum existat, perenni educatione, et studio perficiendum; totum fere hujus virtutis meritum morale in parte altera consistit, quae est liberae voluntatis exercitium: seu constans voluntas agendi secundum rerum meritum, docta mente propositum.

Ad prudentiam igitur sequentia omnino requiruntur, eamque constituunt. 1. Finium, mediorumque cognitio, atque usus: unum sine altero aut sterilis esset rerum cognitio, aut caeca mediorum electio, neque humana, neque rationabilis. 2. Mediorum, finisque honestas, atque utilitas. Agere enimvero duplici hac conditione deficiente, vitium potius esset, quam laudabilis virtus. Prudentiae praeterea munus est, circa res et media probabilia in humanae vitae cursu incidentia, atque electionis, et consilii capacia versari. Quid enim consilio, atque prudentia opus ad certa illa atque necessaria media eligendum, ad propositum finem per sese ducentia? Sapientia i-

gitur, et Scientia, una simul cum Prudentia, etsi in eodem homine aliquando existant; ab hac tamen per se se, hoc imprimis capite, praeter alia, discriminantur, quod ad illas sterilis etiam rerum cognitio satis sit, in eaque saepe consistant, atque objecta necessariae veritatis semper attingant: prudentia vero ad usum descendat et probabilia tractet.

Prudentia idcireo, quatenus et intellectu, et voluntate consistit, est virtus, qua media ad honestum finem assequendum convenientia novimus, et ponimus; contractiusque definiri potest: *consulta honeste agendi voluntas*. Qua quidem definitione quatuor potissimum exprimuntur prudentiam constituentia, atque distinguentia: scientia agendi, hoc est rei, modi, finis; voluntas agendi, honestas finis, extensio objecti. Objectum prudentiae sunt humana omnia cogitata, dicta, facta; in iisque omnibus generatim statuit, ita cogitare, loqui, agere, ut et de nullo sibi unquam poeniteat, et ad finem ultimum semper contendat. Haec igitur virtus adeo est necessaria caeterarum omnium comes, et regula, ut illa deficiente, aliae etiam virtutis nomen et naturam amittant; totaque morum scientia sit pura regularum et actionum prudentiae complexio. Circa universalem tot objectorum comprehensionem, has imprimis regulas praescribit prudentia: I. *Ita agere, ut falli tamen posse cognoscamus, et fateamur, quoties desideratur evidentia, certum veritatis criterium*. Regulam summi momenti, atque ad humanarum rerum usum, totamque vitam maxime necessariam luculenter in Logica prosequimur. II. *Finem certum sibi agendo statuat, rationabili homine dignum*. Citra finem, aut propter incerta agere, neque humanum, neque certae rationis est; casumque, et fatalismum saperet. III. *Prudentis actionis objectum et finis sint agenti possibilia; etsi aliquando*

ardua. Ad rem, seu finem vel moraliter impossibilem contendere temeritatis est; ad arduum vero prudens magnanimitas. IV. *Ex praeteritis, et praesentibus disce ut plurimum futura*. Perinde ut in mundo physico annus annum trahit, idemque ab uno ad alium renovatur naturalium rerum spectaculum; in morali etiam mundo generatione alia alii succedente, mutatis actoribus, eaedem in theatrum redeunt scenae, et mores. Ipsae etiam, quae saepe accidunt in utroque mundo mutationes morales et physicae, alias similes aut annuntiant futuras, aut praeteritas consequuntur. V. *Muneris nostri esse secundum doctae rationis consilium semper agere: officioque deesse, qui in re mores spectante, ratione inconsulta, aut non auditâ, cogitat, loquitur, agit.*

Ex fine rationabili, possibili scilicet atque honesto, à prudentia morali atque laudabili virtute excluditur 1. *Astutia*, et *Sagacitas*, quae etsi mundana prudentia vulgo audiant, sincéramque hujus nominis virtutem aemulentur, sunt tamen moralia vitia. Astutia enim est: *consulta agendi ratio parum de finis honestate scrupulosa*. Sagacitas vero, inter astutiam et prudentiam media, est: *ingeniosa mediorum ad finem assequendum cognitio, et applicatio*; quae finis honestate accedente, est prudentia, deficiente vero astutia. Excluditur 2. *Temeritas*, quae est; *majora viribus aggrediendi voluntas*. Excluditur 3. *Imprudentia*. Hoc autem vitium physicum aut morale prudentiae oppositum, est, *inconsulta agendi ratio, seu voluntas*. Inconsulta, inquam, circa actionem, aut modum. Æque enim prudentiae et rationi opponitur ignoranter, ac praecipitanter agere: quorum primum est ignorantia actionis; secundum praecipitantia modi. Utrumque vero est imprudenter, aut inconsulto agere. Cum ad prudenter agendum opus sint scientia, finis et objecti ho-

nestas, atque possibilitas, maturaque mediorum, temporis, loci ad finem assequendum applicatio, et modus; horum altero deficiente, in prudentiae vicem succedit imprudentia, temeritas, astutia.

Prudentiae affinis est sapientia: imprudentiae vero insipientia. Sapientia, de qua tantopere antiqui Stoici, est: *sublimis atque profunda rerum divinarum, atque humanarum scientia*. Insipientia vero est: *rerum divinarum atque humanarum crassa ignorantia*. De Stoicorum sapiente, et Sapientia disputare, esset de ente rationis serio tractare. Sapientia, hujus nominis et rei definitioni rigorose insistendo, cum solam rerum scientiam praeseferat; cum imprudentia componi posse videtur. Rarumne est in morali mundo phaenomenon, hominem profunde doctum, praecipitanter aliquando agere, et quandoque bonum dormitare Homerum? Re tamen penitius perpensa, pro utraque parte plurima adduci possunt argumenta. Quaestione otiosis disputandi amatoribus transmissa, paucis, neque inutilibus, amplissimum argumentum absolvam.

I. *Sapientia et prudentia studio et labore comparatur*. Etsi enim ad utramque virtutem acquirendam quaedam vis, quaedam et indoles ingenii opus sit, quae purum naturae donum existit; neque ulla arte humana paritur, ut supra late demonstravimus; tamen praecipuum utriusque rei meritum, et veluti fundus, in scientia rerum, et habitu voluntatis consistens, humani tantummodo studii potest esse effectus. Educatione, alieno proprioque marte peracta, legendo, audiendo, meditando, hominesque hominibus, praeterita praesentibus conferendo, quid, aut quare, quomodo cogitare, loqui, agere, vivere oporteat, alta mente et anima defigimus. Quid vero aliud est sapientiae prudentiaeque studium, comparatio, et exercitium? Si ita res est, esse autem

ulterius demonstrare superfluit, haec alia inde sequitur maximi momenti regula.

II. *Ad sapientiae et prudentiae studium perenniter, quoad vivimus, continuandum ex officio tenemur*. Hujusmodi officium hominibus omnibus commune, eo majoris momenti est, quod officia caetera Deum, nos, alios homines respicientia complectatur, nosque ad illa universim adimplendum dirigat. Sapientiae prudentiaeque est, quae Deo, quae nobis, quae caeteris hominibus debeamus, agnoscere, statuere, et praestare. En totius moralis summam, jura omnia religionis, humanitatis, justitiae complectentem. Si religio, justitia, humanitas, nostrumque esse nos tangunt; si officia esse, iisque nos omnes teneri fatemur; fieri nequit, quin ad sapienter, prudenterque cogitandi, loquendi, agendi studium semper teneamur. Tota humana vita est, aut esse debet continuata educationis schola; tamdiuque discere debemus, quamdiu et cogitandi facultas, et discenda supersunt.

Prudentiae analoga imprimis, et pedissequa fere est sagacitas, quo nomine significatur diligentior atque perspicacior industria ad prudentiae dictamina, et finem assequendum. Cum igitur generale prudentiae munus sit atque character, quid, quibus, ubi, quomodo, quando loquendum, agendumve sit dictare, atque praescribere; penitius, atque scrupulosius rem totam praescrutatur sagacitas: circumstantiis, modisque omnibus, a prudentia generatim dictatis, ulterius rimatur, et cautius exequitur. A Prudentia igitur prolixiori consiliorum subtilitate saltem distincta, cum illa tamen circa objecti, mediorum finisque honestatem plane convenit. Hac agendi honestate praetermissa, aut sublata, mutato nomine diceretur *astutia*, hoc est, *malitiosa sagacitas*:

Omnia prudentiae munera referre, esset omnium

humanarum actionum, atque virtutum regulas et modum statuere. Ejus enim sunt cogitationes, verba, actiones, totam humanam vitam constituentia. Haec omnia respicit prudentia, et proprio objecto complectitur. Cogitando, loquendo, agendo aut meremur, aut demeremur, ita aut prudentiae, seu rationi, morem gerimus, aut contra utramque peccamus. Generale igitur prudentiae dictatum, et munus est: 1. Nihil cogitare, loqui, agere, de quo poenitere tandem suadeat ratio. 2. Praecipitantiam imprimis fugere; sanctumque illud *bis ad limam, quam semel ad linguam*, suo etiam modo ad cogitationes, et actiones extendere. 3. Tranquilla, et frigida, ut dicitur, mente, et animo sibi, aliisque consulere, atque ad loquendum, et agendum inducere. Tria haec indicasse sufficiat, dictu aeque facilia, atque factu difficilia. Infinitae aliae prudentiae regulae, generalium hujusmodi dictaminum consectaria, atque explicationes, totam artem criticam, moralem, et politicam componunt.

Si modo dicta, imo et quae hactenus per totam hanc Ethicam exposuimus exequenda officia, fraenandas passiones, comparandas virtutes profunde mediteris; quaenam mentis, animique indoles et energia opus sit ad haec adimplenda munera facile comprehendes. Virtutem illam physico-moralem rationalem, illam intelligo generalem humanorum votorum summam, fortitudinis nomine nuncupatam.

§. LI.

Fortitudo cardinalium virtutum altera.

Sunt, qui Fortitudinem moralium virtutum primam, esse existimant. Hanc enim, inquiunt, innata veluti indole, atque instinctu appetunt omnes universim homines: eaque, perinde ut in physicis,

in humanis etiam rebus omnia secum defert. Potentiae, viribus, fortitudini humana omnia fere cedunt, et veluti abripiuntur. Hoc unum *posse* omnium desideriorum, atque passionum summa, atque compendium existit: illuc universa hominum vota et passiones respiciunt. Hoc uno *posse*, omnia passionum objecta respiciente, atque complectente, vota omnia explente, nihil desiderandum superest. Utcumque rem statuant, virtutem physicam corporis a fortitudine animi distinguamus; priorique omissa, secundam prosequamur, Ethicae propriam, plurimarumque moralium virtutum fundamentum, et cardinem; etsi a temperamento physico non parum etiam pendeat. Primum vero moralis fortitudinis nomine intelligenda est, *tranquilla animi Fortitudo, seu virtus ad ardua aggrediendum, et sustinendum*. Cum virtutem dico, non modo robur atque constantiam, sed honestatem etiam intelligo ad morale rei ipsius meritum prorsus necessariam.

Ad ardua igitur contremiscere, animo deficere, aut illa aggredi quidem, sed ira, furore, aliave passione impulsum, longe abest a vera fortitudine: imo ad animi impotentiam, caecum furorem, et vitium declinat. In primo enim casu animi robur, et firmitudo desideratur: in secundo vero actionis honestas, et humanus, atque rationabilis agendi modus, viro forti prorsus necessarius. *Tranquilla*, cum dixi heroicum fere fortitudinis gradum, et sublimem apicem indicavi. Quem enim vero si *fractus dilabatur orbis, impavidum ferient ruinae*, ille non modo timenda omnia periculá, et mala, et labores Stoica tranquillitate despicit, verum etiam sui ipsius victor, et fere oblitus, communem hominum conditionem supereminet. Supremum belli ducem animo cogita, qui media in acie inter congredientes jam hinc inde armatas legiones, fluenti sanguine, vulneratis, mo-

rientibus, mortuis, armorum strepitu, omnique belli horrore circumdatus, serena tamen fronte, tranquillo animo haec videat, audiat, impendentis forsan internecionis conscius futura praevideat, ordinet, jubeat, remque totam perinde dirigat, ac si nihil adesset periculi. En tibi non tam hominem, quam fortitudinem ipsam humana specie latentem.

Unde vero id virtutis prodigium? A solane animi indole, atque naturali temperamento, an potius educatione, et philosophicis humanarum rerum meditationibus? Priusquam sensum meum aperiam, fortitudinis notio ulterius exponenda. Juxta datam definitionem, communi sensu probatam, sequentia esse debent fortitudinis characteres. 1. Tam circa tolerandos dolores, quam circa difficilia et ardua aggredienda versari: utrumque pariter illius objectum existere. 2. Tranquillo animo, sedatoque et frigido, ut dicitur, sanguine, illa pati, haec aggredi, quin vel patiendo muliebriter queratur, vel aggrediendo contremiscat, aut ultra Prudentiam transgrediatur. 3. Timiditatis est ad periculi aspectum contremiscere: audaciae, *armata fortitudo* merito definitae, temerario agere: fortitudinis vero dolores, laboresque contemnere. 4. Ardua agere, aut sustinere libero quidem animo, periculo cognito, et ob honestum finem aggresso: quin ira, furor, libido, dolor, aliave vivida passio turbet mentem, animumque vehementer commoveat. 5. Cum et sustinere, et aggredi fortitudinis character existant, primum ab animo, secundum a corporis etiam temperamento, statu, circumstantiis, et imaginationis vivacitate pendet. Quî enim difficilia audere, languente, infirmoque corpore, et fractis viribus, nisi imaginatio male sana fortitudinis umbram deliret, et nomen falsum usurpet?

Unde igitur est Fortitudo? Ex fibrarum, muscu-

lorum, sanguinisque indole? At inde quidem corporis vires, bestiis communes, pusillanimitati saepe conjunctae, et a morali virtute toto caelo diversae. Rarum haud est in debili senectute, in muliebri sexu patientiae martyres inveniri; animosque, tamquam immotam rupem fractorum fluctuum, atque tempestatum ludibrium insimul, et triumphum, nullis fortunae adversitatibus, laborum, malorumque acerbitate commotos. Indolene haec, an potius educatione et exemplo? Ex duplici hoc fonte res tota derivatur. Educationem hoc loco in tota sua comprehensione intelligo, physicam, civilem, moralem, religiosam, litterariam, scientificam. Quid religio, virtutis amor, praeclara exempla, ipsaque rerum experientia in humanis animis non possunt! Si haec teneris adhuc mentibus veluti imbibita, usu confirmata, memoria, vigescentique animo servata ponamus, quemdam fortitudinis heroismum inde concipiemus.

His enim caussis referendum, quod una eademque natio, eodem climate, et physicarum rerum statu permanentibus, pro moralium caussarum mutatione, modo vitam, mortemque contemnere, et heroica indifferentia aspicere, nihil arduum non aggredi, omnia hominum cogitata, dicta, facta, fortitudinem sapere, et gentilem heroismum: alia vero aetate, mutata disciplina, caeterisque moralibus caussis, nihil magni cogitare, audere, ad pericula quaeque pavescere, virilemque antiquam fortitudinem in muliebrem pusillanimitatem degenerare. Veteres Graecos, et Romanos cum recentibus earumdem regionum incolis, Japones cum Sinensibus sub eodem climate et physicis caussis degentibus per otium confer: quaenam dices, humanarum rerum, virtutis, animorumque metamorphosis! Quantum distat ab Inacho Codrus, si veteres Lacedaemonios, et recen-

tes Moscovitas cum hodiernis horum nominum nationibus comparemus? Quaenam politica metamorphosis? Spartanis unum superest nomen, veteris gloriae atque virtutis vanum monumentum. Moscovitae vero unius Principis politico et martiali veluti miraculo, homines antea obscuritate sua ignoti, politica creatione producti in mundo apparuerunt illustres, et militari virtute heroes. At uno caussarum moralium discrimine inter se differunt, idemque in fere omnibus cultis nationibus observatur phaenomenon physico-morale.

Nativae tamen hominis indoli nonnihil hac in re tribuendum. Quid indolis nomine significem, satis in superioribus expositum, et Lectori cuicumque notum suppono. Naturalis indolis mutatio difficilis: facilior moralium caussarum correctio atque melioratio. Utrumque tamen tentandum ad fortitudinem moralem comparandum, comparatamque perficiendum. Haec enim, perinde ut aliae virtutes, gradatim actuum repetitione, novis caussarum moralium actionibus acquiritur, atque intenditur. Eoque facilius obtinetur, quo naturali etiam indole juvante, plures morales caussae in rem agant. Eo vero enixius moralibus hisce caussis colendis, fortitudinique comparandae insistendum, quod in tota hac mortali vita doloribus, laboribus, milleque aliis molestissimis vitae appendicibus saepissime afflicti, nisi forti animo haec omnia patienter feramus, amisso etiam patientiae merito, infelicior adhuc evadat nostra conditio. Contra vero patiendo fortiter, vel praesens minuitur labor, vel sublevatur, vigescitque resistendo animus: moralisque virtutis meritum comparatur, praemio tandem coronandum. Nisi hac ratione sublevetur, occurrentia passim non praevisa mala, infortunia, labores, et pericula, humanae felicitatis impedimenta, quidquid tandem rei illa sit, fugiens simulacrum

semper sequemur. Haec veritas plane constabit, si et humanae vitae conditio, et hucusque per totam Ethicam disputata in memoriam revocentur, et quae demum in hoc mundo assequi possit naturalis felicitas, exponatur.

§. LII.

Humana Felicitas naturalis.

Supremum Ethicae caput, et coronam attingimus. Quid nominis, quid rei est humana felicitas naturalis in hac vita possibilis? Hominem physicum novimus ex philosophia naturali: rationalem ex Logica atque Metaphysica: moralem vero per totam hanc Ethicam exposuimus. Hominis facultates ad triplicem hunc rerum ordinem spectantes, earumque exercitium, humanam vitam constituunt. Siqua est humana felicitas naturalis; ex triplici hoc facultatum ordine, earumque usu pendet. Quid enim vero hominis vita nisi praedictarum facultatum, hominem physicum, rationalem, moralem constituentium, individua existentia, conservatio, usus? Quid etiam humana felicitas naturalis, nisi vita suaviter, rationabiliter, atque laudabiliter transacta, et naturalem hominis finem adepta? Altero ex iis capitibus deficiente, aliquid ad humanam felicitatem desideratur. Id igitur et inde est naturalis beatitudo, quid et unde est humanae vitae rationabilis, atque laudabilis suavitas. Id vero in homine ipso, ejus facultatibus, et actionibus potissimum existit.

Sed a generalibus ad certum aliquid et singulare, ab ideali beatitudinis notione, atque divisione ad physicam ejusdem existentiam, veritatem, aut naturalem possibilitatem deveniamus. Eum hominem merito dicimus felicem, qui vitam transigit sui status rationabiliter semper contentus; de cujus proin-

de permanenti duratione citra mutationem gauderet. Humana idcirco naturalis beatitudo statui debet *constans perennitas rationabilis animi jucunditatis*. Priusquam tamen quid rei physicae sit, aut esse possit et debeat hujusmodi vita, status, animi jucunditas, beatitudo naturalis potest esse *positiva*, aut *negativa*, *absoluta* seu *relativa*, *perfecta* aut *imperfecta*. *Positiva* est vera bonorum possessio, atque fruitio; *negativa* vero malorum privatio. *Absoluta*, quae in se se spectata, et citra comparationem ad aliorum hominum statum, vera felicitas dici potest: *relativa*, in qua, ad alios status relata, majora sunt bona, minora, et pauciora mala. *Perfecta* demum, cui ad constantem, perennemque animi jucunditatem nihil desideratur: si quid vero desit, *imperfecta* nuncupatur.

Rebus hisce praemissis sequentia supersunt ad praesens argumentum absolvendum. Cujus generis est, in quo tandem physice consistit, quave ratione et modo in praesenti rerum statu quaerenda, aut speranda felicitas?

1. Naturales illae hominum felicitates nonnisi relativae existunt. Datae modo notiones, atque notrae hominum conditionis ratio, et conscientia, rem plane demonstrant. Ubinam gentium per naturalium, humanarumque rerum vicissitudines, et conditionem, esse potest constans aliquis status perennis voluptatis, et jucunditatis, honestae animi tranquillitati semper conjunctus, quem secum defert absoluta felicitas? Quid humana cujusque hominis vita, nisi longissima afflictionum, nauseae, dolorumque series, brevibus, raris languentium voluptatum momentis hac illac interrupta? Vel potius tractus terrae aridus, saxosus, spinis hirsutus, paucis floribus, et amaris fructibus inter spineta, et saxa intersitis? Quaenam vero inter qualescumque sen-

per atque moderanda. Mentem colere, imprimis vero officiorum scientia ornare, vitiosas passiones fraenare, aut radicitus evellere, caeterarum vero violentiam moderari, pacem secum ipso, cum Deo, cum aliis hominibus sanctam habere: ad haec animi tranquillitas citra indolentiam, desideriorum moderatio, conversatio sine tumultu, et sapienter jucunda, haec, inquam, sunt potissima felicitatis capita a nobis pendentia, atque factitia, quae hominem reddunt in vita beatum.

Quod bona externa attinet ad vitam physicam, atque civilem in politica Societate servandam necessaria, corporis constitutio ad naturalia munia, moralia civiliaque officia praestandum apta, atque mediocris fortuna satis superque sunt. Divitiae, ingentesque fortunae communissima illa et ardentissima mortalium vota, non modo ad felicitatem opus non existunt, sed homini philosopho, prudenti scilicet rerum aestimatori, aliud non sunt, quam *pretiosa impedimenta*, perennes rodentium curarum fontes, cum animi tranquillitate numquam componendae. Egestas vero, aeque atque divitiae, sacro illi *Sapientiae* voto contrariae, *divitias et paupertatem ne dederis mihi*, vacuum etiam aliquid in humana felicitate relinquit. Circa fortunas, dignitates, caeteraque omnia externa bona is imprimis tollendus est communissimus hominum error, beatos vulgo existimantium desideratae fortunae, bonorum, dignitatumque possessores. Ii tamen, quemcumque fortunae, aut dignitatum ordinem, et locum occupent, aliis desideriis similiter agitantur, propria sorte minime contenti. Haec est mundanarum rerum, atque humanorum animorum conditio, ut illae, crescendo, et se se multiplicando, novas in animo curas desideria, et famem generent; hi vero, ad alterius ordinis felicitatem a Deo creati, for-

tunarum magnitudine obruantur potius, quam optat fruantur animi jucunditate. Ita fit, ut a gradu in gradum ascendant, et ab eorum summo ad inferiores reflectant. Fortunae filii rerum mole, et curarum cruciatu oppressi, pauperum tuguriis invident, atque tranquillati.

Summa igitur rei est. 1. Beatitudinem naturalem perfectam in hac vita non esse possibilem. Ea enim esset, rationabilium voluptatum tranquilla fruitio, et continuata series, nullis, vel molestis animae curis, vel corporis incommodis interrupta. Talis scilicet stabilis vivendi ratio, et constitutio physico-moralis, qua homo Deo, sibi, aliis officiosus, cum Deo, cum aliis, secum ipso contentus, pacificus, officiosus tranquillos ageret annos. At quisnam mortalium est, aut per physicam hominis ipsius, rerum naturalium constitutionem esse potest, quem atrae curae, animi nauseae, tetra melancholia, tumultus passionum, milleque alia animi, intellectus, imaginationis, sensuum, corporisque pathemata non agitent, crucient, et felicem esse non permittant?

2. Relativa seu imperfecta felicitas, quae sola in hoc mundo haberi, sperarive potest, in supradicta rerum complexione concipitur, et consistit. Longa oratione rem confirmare superflueret. Praeterquam enim quod dicta hactenus, per totam hanc moralem philosophiam, assertam veritatem demonstrant, haec una animadversio rem conficit. Hominem da, exposita illa rerum complexione praeditum: quid, quaeso, amplius requireretur, quid deesset ad naturalem illius felicitatem? Contra vero, aliquo ex illa complexione sublato, deficiet illico perennis illa, et grata animi jucunditas, atque suavis activae vitae tranquillitas, individua felicitatis comes, et pars etiam potissima.

Ut igitur aliquis tandem morali philosophiae, et

praesenti sectioni apponatur finis; multa paucis complectamur; et quaestioni, quem hominem dicemus felicem; quid rei sit hujusmodi commune, omnium desiderium; et quaenam illam componant, brevis aliqua detur responsio, ex hucusque dictis deducta, et totius operis conclusio. Quaestioni responsio sit. 1. Perfecta felicitas in hoc mundo nulla: quae illam componunt elementa, per humanam conditionem in praesenti vita sperari non possunt. 2. Imperfectam seu relativam felicitatem, in animo potissimum consistentem, tria illa jam indicata componunt, *pax cum Deo*, *pax secum ipso*, *pax cum hominibus*, dictu quidem facillima, observatu autem difficillima. Prima enim, officia omnia erga Deum secum fert. Secunda passionum moderamen, et officia erga se ipsum. Tertia vero officia erga alios homines; est dicere, triplici hac pace fraenantur passiones, excluduntur vitia, comparantur virtutes. Quaenam et quanta haec sint, per totam hanc Ethicam exposuimus. Homo virtutibus moralibus expers, erga homines inofficiosus, sui ipsius male amicus, et suarum passionum praeda, erga Deum irreligiosus, homo inquam hisce capitibus peccans, potestne dici beatus, laude, et aestimatione dignus? Humana igitur beatitudo, in hac vita possibilis, triplici hac pace tentanda est: quo magis in eam peccamus, eo longius a felicitate recedimus.

3. Sed quoniam puri spiritus non existimus; sed a corpore nostro, terrenisque rebus etiam pendent spirituales animi functiones, et vitae cum physicae, tum moralis exercitium; ad qualemcumque illam naturalem felicitatem, ex parte corporis desideratur valetudo, ad physicae et moralis vitae munia obeundum necessaria. Nisi ex Stoicorum grege existas, Sapientem in mediis tormentis felicem esse, et aegritudines et dolores non esse mala gloriose men-

tientium, una mecum de hac conditione facile convenies. 4. Moderatus cibus, et moderatus potus tibi a te ipso praescribendus ; juxta illud, quod tibi sacrosanctum esse debet: *divitias et paupertatem ne dederis mihi ; sed tantum victui meo necessaria.* Naturalem felicitatem et gloriam ex paupertate indigentiaque quaerere, sententia esset vanitate Diogenis digna. Dum haec dico, de humana philosophia tantum loquor: de Evangelica et Christiana pauperate non est impraesentiarum sermo.

Singula haec capita superius suis quaeque locis demonstrata, impraesentiarum conclusionis loco paucis tantum verbis erant colligenda.

Atque haec sunt, quae de humana philosophia mihi proposui disputanda. Argumentum concludam, duplex illud principium cogitandi et agendi, seu philosophiae rationalis et moralis, iterum atque iterum inculcando: *Nosce te ipsum* : *ama te ipsum* ; quibus illud adjungam philosophiae agendi imprimis conveniens, et Philosopho morali prae oculis semper habendum :

" Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem. "

BIBLIOTECA PUBLICA E ARCHIVIO PROVINCIALE DI TRIESTE

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA MANIZOLA

Die 14. *Martii* 1794.
IMPRIMATUR
Fr. V. A. Cavalloni Vic. Gen.
S. Off. Ferr.

Die 17. *Martii* 1794.
IMPRIMATUR
Ferrantes Compagnoni Vic. Generalis.

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA MANIZOLA